André Sampers

# INSTITUTUM OBLATORUM IN CONGREGATIONE SS. REDEMPTORIS RECTORE MAIORE N. MAURON, 1855-1893 *

Usum iam a saeculis in familiis religiosis universaliter receptum, participes nempe reddendi devotas personas Instituto peculiari modo coniunctas, praesertim benefactores et coadiutores, meritorum orationum aliorumque bonorum operum in Ordine perfectorum, s. Alfonsus secutus est. Tria documenta ad nos pervenerunt, quibus Alfonsus certis personis, de Congregatione benemeritis, participationem bonorum Instituti operum concessit ann. 1758, 1761 et 1777 [1]. Primus Alfonsi biographus et Instituti historiographus, p. Antonius Tannoia, tradit in lite a Francisco Maffei, administratore feudi de Deliceto, an. 1765 Congregationi intenta [2] inter crimina etiam illatum esse, quod benefactores participes bonorum operum reddebantur, quia ex hoc coniciebatur Institutum esse Ordinem proprie dictum [3].

Non abs re videtur statim admonere, Alfonsum hanc 'affiliationem' (ita Tannoia) non interpretasse ut quid mere honorificum

* Gratias debitas et sinceras agimus patribus amicis J. Pfab (superiori generali CSSR) et K. Büche (vice-secretario generali), qui officiose comiterque hoc scriptum legerunt, ac plures animadversiones utiles dederunt.

1 Documenta edita sunt in *Analecta CSSR* 21 (1949) 157, *Spic. hist.* 13 (1965) 6-7 et 12.

2 Circa initium litis contra domum Congregationis in Deliceto vide epistulam s. Alfonsi ad Pium PP. VI an. 1780; *Spic. hist.* 14 (1966) 227. Cf. *ibid.* 15 (1967) 208.

3 [A. Tannoia], *Della vita ed istituto del ven. Servo di Dio Alfonso M. Liguori*, vol. II, Napoli 1800, 256 (lib. III, cap. 49): « Tra i tanti delitti fabbricossone un altro, che si credette di maggior peso. Solevano i rettori delle case, volendo compiacere la devozione dei nostri benefattori, accordar loro la partecipazione delle opere che da noi si fanno a gloria di Dio ed in prò delle anime. Stimossi dal Maffei così grave questo delitto che si spedirono, a proprie spese, subalterni per aversi nelle diverse provincie queste affiliazioni. Non è questo — dicevano — una specchiata prova della Comunità, che questi ostentano; e non è questo, quello che si fa dalle Religioni le più cospicue ed antiche ».

aut externum. Vocabulis in documentis adhibitis patet, eum affiliatos — quodam saltem modo — tamquam veros sodales Congregationis considerasse, quacum intimiore unione iuncti erant. Legimus in documento an. 1761: « Nos [...] tenore praesentium et muneris nostri quo fungimur auctoritate, Vos inter nostros Confratres assumimus atque aggregamus, nec non vestram familiam inter spiritualia Nostri Instituti participantes annumeramus, Vobisque omnibus omnium Missarum [...] tam in vita quam in morte communicationem libenter impertimur et concedimus. Insuper volumus, ut quocumque domorum praedictae Congregationis Vos vel aliquem Vestrorum contigerit advenire, vel ex proposito eo Vos contuleritis, omni quae meritis vestris debetur humanitate et officiosi animi argumentis, perinde ac [Nos] illuc adventavissemus, peramanter excipiamini » [4].

Documentum Sedis Apostolicae concedens Alfonso facultatem aggregandi modo supra relato clericos et laicos [5] Instituto non cognoscimus. Sed huiusmodi facultate minime opus ei erat. Uti argute dicit p. Rudolfus von Smetana: « Sola admissio ad bonorum operum participationem nullo privilegio indiget. Cum Superior generalis cujusvis Instituti jure potiatur intentionem et applicationem bonorum operum, quae in Instituto suo peraguntur, determinandi, talem meritorum participationem, utpote rem meram spiritualem, extraneis quibuscunque, regularibus et saecularibus, clericis et laicis, in gratitudinis vel benevolentiae testimonium aliisve ex causis concedere potest » [6]. Aliter tamen res se habet, si non solum meritorum sed etiam gratiarum participatio extraneis conferatur. Ad rem idem Smetana: « Quando vero hisce ad bonorum operum participationem admissis etiam gratiae et indulgentiae eidem Instituto a S. Sede concessae communicandae sunt, id fieri nequit sine indulto apostolico, quia nemo privilegia ipsi concessa propria auctoritate in alios transferre potest » [7].

---

[4] *Spic. hist.* 13 (1965) 7. In documento an. 1758 vocabula similia adhibentur. In fine dicitur affiliatum in domibus religiosis Congregationis excipiendum esse ut quivis Instituti sodalis: « Noi [...] col tenore della presente Vi ammettiamo fra nostri Fratelli, come pure tutta la vostra famiglia, a partecipare di tutte le opere che si fanno in tutto il nostro Istituto, come sono [...]. Dippiù volemo ed ordiniamo che in qualsivoglia de' nostri collegi voi capitarete, che foste trattati al pari, se colà fosse giunto uno de' nostri soggetti in persona ». *Analecta CSSR* 21 (1949) 157.

[5] Bene notetur, s. Alfonsum tam clericos (an. 1777) quam laicos una cum eorum familia (ann. 1758 et 1761) ad affiliationem, i.e. ad participationem bonorum operum Instituti admisisse.

[6] *Elenchus facultatum et gratiarum spiritualium quibus potitur Congregatio SS. Redemptoris,* [curante R. von SMETANA], Monachii 1860, 359.

[7] *Ibid.*

Eiusmodi indulti mentio fit in *Compendio privilegiorum CSSR* an. 1792 Romae ad usum patrum Congregationis in Statu Pontificio commorantium edito [8]. Ibi dicitur Congregationem nostram habere facultatem participes reddendi extraneos non solum meritorum sed etiam gratiarum et indulgentiarum virtute communicationis privilegiorum cum Ordine Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis [9], sed etiam « ex rescripto Pii VI nostrae Congregationi [dato] die 19 Septembris 1781 quoad gratias, indulgentias et caetera privilegia, quorum sic aggregati capaces sunt, excepto Altari privilegiato » [10]. Rescriptum hoc invenire nequivimus et supra laudatus Smetana iam an. 1860 dixit, de hac concessione Nostris facta nihil exstare « praeter brevem hanc notitiam » in *Compendio* an. 1792 [11].

Continuaverunt Superiores generales neapolitani et eorum Vicarii generales transalpini praxin extraneos participes reddendi bonorum operum et gratiarum Congregationis, quod quidem pro diversitate loci et temporis diversis vocabulis significabatur; italice ' dare la figliolanza ', germanice ' als Aufgeopferten aufnehmen ', latine ' affiliare, aggregare, inter oblatos cooptare '. Vocabulum ' oblatus ', in latinitate classica vix notum, in latinitate christiana et maxime aetate quae vocatur media valde in usu fuit, diversas significans notiones, praecipue personam Deo in monasterio peculiari modo datam, deditam [12]. Tempore s. Alfonsi in nostro Instituto vocabula ' oblatio — oblatus ' (oblazione — oblato) communiter idem significabant ac vocabula ' professio votorum — professus ', quae ultimae voces nimis sapiebant Ordi-

---

[8] *Compendium privilegiorum Congregationis SS. Redemptoris*, [curante F. De Paola], s. l. 1792, 115-116.

[9] Agitur de concessione facta a Gregorio PP. XIV in Bulla « Illius qui » diei 21 sept. 1591, confirmata die 24 aug. 1764. Vide *Documenta authentica facultatum et gratiarum spiritualium quas Congregationi SS. Redemptoris S. Sedis concessit*, [curante G. Schober], Ratisbonae 1903, 63*-64*. — Documentum comprobans Congregationem nostram an. 1792 ex communicatione potitam esse privilegiis Ministris Infirmorum (Camillianis) concessis, invenire non potuimus. P. De Paola opinabatur, Congregationem his privilegiis frui ex communicatione indirecta, scil. cum Congregationibus Piorum Operariorum, Doctrinae Christianae et Passionis D. N. J. C. Cf. *Compendium privilegiorum*, 1792, 15-16 § VI.

[10] Quidquid sit de hoc rescripto, certe facultas non est concessa s. Alfonso, tunc in offensa apud S. Sedem propter s.d. ' Regulamentum regium ', Congregationi in Regno Neapolitano an. 1780 a gubernio civili impositum. Eodem anno S. Sedes declaravit patres in Regno non amplius considerari sodales Congregationis, eosque privavit praerogativis et gratiis concessis; cf. *Spic. hist.* 2 (1954) 18-19. Die 4 apr. 1783 s. Alfonso et missionariis neapolitanis gratiae, quibus fruebantur patres in Statu Ecclesiastico, concessae sunt; cf. *Documenta authentica* 37.

[11] *Elenchus facultatum et gratiarum* 360.

[12] Vide ea quae p. I. Löw exponit circa usum vocabuli ' oblatus ' eiusque significationes in *Spic. hist.* 5 (1957) 33-34.

nem religiosum ideoque, saltem in publicis scriptis, potius vitandae erant propter aversionem gubernii neapolitani ab huiusmodi institutis [13].

Ad usum communem hodiernum — iamdiu sancitum — vocabulorum, qui plane distinguit inter professum et oblatum, nos conformantes, in studiis de instituto oblatorum CSSR quae sequentur [14], vocabulum 'oblatus' sumimus pro piis personis, Instituto extraneis, i.e. non votis religiosis ei coniunctis, quibus tamen Congregatio concessit participationem meritorum bonorum operum et gratiarum. Quae videtur etiam propria vocabuli significatio in textibus ultimorum capitulorum generalium et novorum statutorum occurrentis.

In actis capitulorum generalium usque ad an. 1969 de oblatis nunquam est sermo [15], neque in constitutionibus Regulae pontificiae appositis [16], quae usque ad an. 1969 viguerunt [17]. In statutis CSSR an. 1969 editis, cum emendationibus a capitulo generali eiusdem anni adiectis [18], oblati iam initio nominantur et significatur « eos ut socios apostolatus nostri, sive permanentes sive temporaneos », esse considerandos [19]. E contrario de meritorum ac gratiarum participatione non fit mentio. In *Directorio superiorum CSSR*, anno sequente edito, quater de oblatis sermo est [20]: Superiori generali reservatur facultas

---

[13] Vide *ibid.* 37-38 et summarium expositionis p. Löw in *Etudes Oblates* (Montréal) 17 (1958) 86-87. Cf. etiam ea quae habet p. I. Pfab in *Spic. hist.* 19 (1971) 287-288.

[14] In animo nobis est vulgare in his foliis quaedam documenta et studia circa oblatos CSSR, disponentes materiam secundum diversas Instituti aetates et tempora. Vide infra.

[15] Sola capitula generalia ann. 1793 et 1802 Nuceriae Paganorum celebrata breviter de oblatis agunt; sed oblati hic sumuntur ut famuli sine mercede in domibus religiosis servientes. « Il capitulo proibisce di riceversi persone secolari per servire in casa da oblati perpetui senza salario, perché non li stima utili e di vantaggio alla comunità ». *Acta integra capitulorum generalium CSSR, 1749-1894 celebratorum*, Romae 1899, 118, n. 305; 182, n. 453 § 9; 199, n. 494.

[16] Quoad vocabulorum significationem hic advertendum est: Ab an. 1749 usque ad an. 1963 'Constitutiones et Regulae' — interdum etiam 'Regula' (pontificia) dictae — significat textum a S. Sede an. 1749 approbatum; 'Constitutiones' vero significat textus a capitulis generalibus 'Regulae' adiunctos. Ab an. 1963 'Constitutiones' significat textum a S. Sede an. 1964 approbatum; 'Statuta' vero significat textus a capitulis generalibus hisce 'Constitutionibus' adiunctos.

[17] Ann. 1964-1969 viguerunt 'Constitutiones' capitulares antea conditae quatenus non contrariae 'Constitutionibus' a S. Sede an. 1964 approbatis. Promulgatione 'Statutorum' an. 1969 'Constitutiones' capitulares penitus abrogatae sunt.

[18] *Acta integra capituli generalis XVII CSSR, Romae celebrati 1967-1969*, [Romae 1969], 263, n. 03; 432, n. 085.

[19] *Constitutiones et Statuta Congregationis SS.mi Redemptoris* a capitulo generali XVII exarata, Romae 1969, 51, n. 02. Dolendum est quod index analyticus deest in fine voluminis.

[20] *Directorium superiorum Congregationis SS.mi Redemptoris*, Romae 1970, 48, n. 149 d; 57, n. 155; 90, n. 185; 97, n. 190.

oblatos admittendi necnon sodalitium oblatorum in domibus nostris erigendi [21]; enumerantur etiam dies quibus oblati lucrari possunt suetis conditionibus indulgentiam plenariam [22]. Status et munus oblatorum tamen non pressius indicantur; delegatur tantum ad statuta, quae in hac materia potius parca sunt [23].

In ultimo capitulo generali an. 1973 iterum breviter de oblatis actum est. Patet tamen luce clarius ex capituli actis, patres in materia notiones perspicuas minime habuisse, nec rem — revera potius complicatam — pressius enucleare voluisse. Satis habuerunt mandatum dare gubernio generali, ut eam serio perpendat [24]. Inter « Commendationes gubernio generali a capitulo datas » legitur: « Programmati affiliationis Congregationi consilium generale speciali modo incumbat. Iuxta mentem Const. 79 et 80, Stat. 02, 057-060, 087 modi novi et ampliores affiliationis personarum cuiusque generis (sive sacerdotum sive diaconorum sive laicorum, sive religiosorum sive saecularium) inveniantur » [25].

Cum constet de condicione potius confusa oblatorum in Congregatione quoad statum, munus etc. eorum, bene visum nobis est historicam indagationem circa rem instituere. Quaeritur responsum ad quaestionem qua de causa et quo modo oblati admittebantur superiore tempore et maxime quae vincula mutua exsistebant inter Congregationem et oblatos. Nota sunt varia tentamina incepta vel saltem perpensa oblatos intime et firmius Instituto uniendi, eosque ad vitam devotam in spiritu Congregationis proprio educandi. Quaeritur insuper, quatenus hi conatus bene successerint aut irrita remanserint et ob quas causas, qualis fuerit natura et fortuna sodalitatis oblatorum, a s. Clemente c. an. 1800 Varsaviae erectae et die 29 iulii 1804 indulto pontificio ditatae [26]; eo vel plus quia

---

21 Superior generalis, communicans facultates Congregationis (Vice-) Provincialibus, has duas definite excepit decreto diei 13 ian. 1970 (p. 97, n. 190). Decreti mentio fit in opere *Documenta authentica gubernii generalis, 1967-1973,* Romae 1977, 104. — *Directorium superiorum* (p. 25, n. 90) superiori (vice-)provinciali tribuit ius, audito suo consilio, admittendi candidatos ad novitiatum et novitios ad professionem, ideo exceptio circa oblatorum admissionem an. 1970 decreta aliquantum admirationem movet; haec enim in Congregatione certe minoris momenti est quam admissio ad novitiatum et professionem.

22 Quoad indulgentias ab oblatis certis diebus lucrandas, vide rescriptum S. Paenitentiariae diei 18 maii 1968, editum in opere *Documenta authentica gubernii generalis, 1967-1973,* Romae 1977, 73-74.

23 *Directorium superiorum* 129 (Index), s. v. *Oblati.*

24 *Acta integra capituli generalis XVIII CSSR, Romae celebrati 1973,* [Romae 1973], 55, n. 9; 66, n. 8; 91, n. 10.

25 *Ibid.* 91, n. 10.

26 Decretum S. Congregationis de Propaganda Fide illius diei editum est in opere *Documenta authentica,* [ed. SCHOBER], Ratisbonae 1903, 67-69 et in opere *Monumenta Hofbaueriana,* vol. VIII, Toruń 1936, 272-273. Documentum originale conservatur in AGR.

hoc sodalitium, postea a Redemptoristis in regionibus linguae germanicae diffusum, usque ad tempora recentiora tamquam exemplar consideratur pro novo huiusmodi instituto — si casus ferat — erigendo.

Responsa plana ad has aliasque quaestiones in materia sine dubio utilia esse poterunt ad melius stabiliendum institutum oblatorum in Congregatione hoc nostro tempore. Ne tamen praetereamus indolem horum commentariorum esse historicam, quae excludit studia circa problemata hodierna. Verumtamen accurata cognitio eventuum et motuum qui tempore praeterito acciderunt, valido auxilio esse potest ad inveniendam viam nunc sequendam. Adagium a Cicerone depromptum 'Historia vitae magistra' — dummodo recte interpretatum — ubique et semper suum valorem retinet[27].

Uti iam supra monuimus, nobis in animo est vulgare in hisce commentariis quaedam documenta et studia circa oblatos CSSR, illustrantia illorum statum et cum Instituto necessitudinem superiore tempore. Quia tamen silva rerum, ex plurium saeculorum historia nobis tradita, copiosior est quam ut unico articulo proponi possit, oportet eam distinguere secundum diversas aetates et tempora. Propter varias rationes, quae infra proponentur, selegimus primo tractandam aetatem gubernii Rectoris Maioris p. Nicolai Mauron, 1855-1893.

* * *

Historia instituti oblatorum CSSR apte dividi potest in sex aetates[28]: 1. — tempus fundatoris s. Alfonsi, ann. 1732-1787; 2. — tempus Rectorum Maiorum Congregationis divisae, ann. 1780(83)-1793 (p. Franciscus De Paola in Statu Pontificio, p. Andreas Villani in Regno Neapolitano); 3. — tempus Rectorum Maiorum Congregationis indivisae, ann. 1793-1853 (ex ordine pp. Petrus Paulus Blasucci, Nicolaus Mansione, Caelestinus Cocle, Ioannes Camillus Ripoli, Vincentius Trapanese); 4. — tempus Vicariorum transalpinorum, ann. 1788-1855 (ex ordine s. Clemens M. Hofbauer, pp. Iosephus Passerat, Rudolfus von Smetana); 5. — tempus Rectorum Maiorum Congregationis neapolitanae, ann. 1854-1869 (ex ordine pp. Iosephus Lordi, Caelestinus Berruti); 6. — tempus Rectorum Maiorum Romae residentium, ab an. 1855, quorum primus fuit p. Nicolaus Mauron.

---

27 Marcus Tullius CICERO, *De oratore*, lib. II, cap. 9, 36: « Historia vero testis temporum, lux veritatis, vita [= via?] memoriae, magistra vitae, nuntia vetustatis ». Vide etiam ea quae egregie dixit Superior generalis p. Leonardus Buijs prolusione sua inaugurali in congressu historico CSSR, die 29 martii 1948: « Res historica tantam nobilitatem habet, ut iam ex seipsa nostram mentem attrahat. [...] Maioris momenti est, quod de cetero magis accedit ad indolem huius scientiae, ipsa utilitas quam affert ad vitam recte ordinandam ». *Analecta CSSR* 20 (1948) 51-57.

28 Uti semper in re historica, divisio materiae in aetates est aliquantum arbitraria; ex altera parte tamen est necessaria ad capiendum conspectum eventuum et motuum qui per longius tempus volvuntur.

Primus Rector Maior romanus agendi sua ratione in materia oblatorum quodam modo fundamenta iecit ulterioris evolutionis. Ideo bene visum est historicae indagationis initium a regimine p. Mauron desumere, eo vel magis quum quaedam documenta maioris momenti proponenda obveniant, ad quae in ulterioribus studiis delegari potest.

In decreto S. Congregationis Episcoporum et Regularium diei 2 iulii 1841, quo Congregatio SS.mi Redemptoris « pro nunc in sex Provincias distribuebatur », etiam statuebatur sub n. 9 quod in proximo celebrando capitulo generali « definiantur facultates per Provinciales stabiliter exercendae » [29]. In capitulo generali, Romae habito diebus 27 aprilis — 20 iulii 1855, quo p. Mauron die 2 maii Rector Maior electus est, facultates superiorum provincialium revera definitae sunt. De admissione oblatorum non est sermo, sed haec facultas eis certe delegabatur in statuto n. XII: « habent Provinciales ex delegatione omnes gratias, concessiones et facultates spirituales, quae in privilegiis nostris exprimuntur, et quas, in quantum communicabiles sunt, subjectis communicare possunt » [30]. Festo praesentationis B. M. V., die 21 novembris 1855, superiores provinciales nominati sunt eisque missum est sub eodem die folium inscriptum « Facultates in capitulo generali definitae et per Provinciales stabiliter exercendae », cuius textus omnino congruit cum capituli statutis supra memoratis [31]. Et hoc quidem ex decisione consultationis gubernii generalis diei 14 novembris [32]. In appendicem ad epistulam suam circularem diei 15 iulii 1860 p. Mauron elenchum facultatum inseruit, omnibus Congregationis sodalibus eas notas faciens [33].

Superior Provinciae Gallico-Helveticae, p. Franciscus Xav. Masson [34], facultate delegata admittendi oblatos Congregationis usus esse videtur. Quamquam in eius epistulis aliisque actis non invenimus eum oblatum admisisse, hoc tamen firme conicere possumus ex docu-

---

29 Decretum editum est in opere *Acta integra capitulorum generalium CSSR, 1749-1894 celebratorum,* Romae 1899, 301-303.

30 *Ibid.* 573.

31 N. Mauron, *Litterae circulares,* Romae 1896, 5, n. 1. Epistula non edita est in volumine. Exemplaria documenti conservantur in AGR.

32 « Consultatio II, habita die 14 nov. 1855. In hac consultatione generali tractatum est de facultatibus singulis Provincialibus concedendis: et quia iam capitulum generale facultates a Provincialibus stabiliter exercendas definierat, conventum est, easdem facultates jam nunc novis Provincialibus communicandas esse ». AGR, *Liber Consultationum generalium, 1855-1862,* p. 4.

33 Mauron, *Litterae circulares* 64-66.

34 P. Masson (1820-1902), oriundus ex Bagnes (Vallesia, Confoederatio Helvetica), superior Provinciae Gallico-Helveticae fuit ann. 1855-1865. Ann. 1848-1855 degit in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis; ab an. 1879 in Hispania.

mento diei 14 augusti 1856 Roma ei misso[35]. In epistulis non paucis inter pp. Mauron et Masson an. 1856 datis acceptisque nec de hoc documento nec omnino de oblatis sermo est[36]. Pro certo sumere licet documentum Roma missum esse a p. Eduardo Schwindenhammer, qui ann. 1855-1862 superiori generali ab epistulis erat et qui cum p. Masson per litteras colloquebatur[37]. Documenta similia aliis superioribus provincialibus data non invenimus. Certe huiusmodi documentum datum non est superiori Provinciae Americanae, p. Georgio Ruland[38], qui diebus 15 maii et 31 iulii 1857 superiori generali scripsit se dubitare, num facultatem haberet aliquem in oblatum Congregationis admittendi[39].

Ex epistulis inter p. Mauron et superiores Provinciarum Gallico-Helveticae et Belgicae mutue datis patet hos superiores oblatos admisisse. Videtur tamen p. Mauron mox numerum ab eis admittendorum certis terminis definisse. In epistula diei 23 ianuarii 1858 superior Provinciae Belgicae, p. Philippus Noël[40], dixit, tam multas affiliationes esse concessas ut sibi non remaneret numerus sufficiens ad benefactorum desideriis satisfaciendum. Ideoque facultatem petivit alias 10-15 personas admittendi[41]. A superiore Provinciae Gallico-Helveticae, p. Achille Desurmont[42], an. 1875 affiliatio data est noto

---

35 Documentum conservatur in archivo Provinciae Lugdunensis CSSR, Lyon. Photocopia in AGR, *sectio* Oblati VI 1 (Mauron). — Edetur infra, Doc. I.

36 Epistulae conservantur in AGR, Prov. Gallico-Helvetica II A. Paucae tantum minutae epistularum superioris generalis exstant.

37 Hoc patet ex epistulis quas p. Masson ad p. Mauron misit. Vide notam praecedentem.

38 P. Ruland (1817-1885), oriundus ex Eglshöf vel Eggelshof (Bavaria), superior Provinciae Americanae fuit ann. 1854-1859.

39 Ex epistula diei 15 maii 1857 (ult. verso): « P. Hotz ersucht mich, einen gewissen Priester, namens Friedrich Wolf, einen guten, bejahrten Herrn, unter die Oblaten aufzunehmen. Da ich keine Vollmacht zu haben glaube, so ersuche ich E. Paternität um diese Gunst für den alten Herrn ». Ex epistula diei 31 iulii 1857 (p. 8, n. 6): « Habe ich das Recht, jemand als Oblaten der Congregation anzunehmen? In Europa sollen es früher die Provinziale gethan haben. Der hochw. Wolf in Pittsburg, der sein Vermögen von 8-900 Dollars der Congregation vermachen will, hat — wie ich in einem Frühern bemerkte — um die Aufnahme gebeten ». Epistulae originales conservantur in AGR, Prov. Americana I (sub die). Responsa superioris generalis nos latent.

40 P. Noël (1815-1868), oriundus ex Piéton (Hainaut, Belgium), superior Provinciae Belgicae fuit ann. 1855-1859. Ab an. 1861 in Antillicis Insulis degit.

41 « Les pères de Boulogne-sur-Mer ont fait un abondant usage des lettres d'affiliation à la Congregation. Ayant promis cette faveur à quelques personnes bienfaitrices, elle leur fut sollicitée par un assez grand nombre. [...] Mais il ne m'en reste plus assez pour pouvoir satisfaire aux demandes qui me sont faites. Je prie Votre Paternité de m'accorder encore la permission pour dix à quinze personnes ». AGR, Prov. Belgica I 2 (1858). Vide etiam AGR, Prov. Hollandica I 2 (epist. dierum 17 et 24 iunii 1865).

42 P. Desurmont (1828-1898), oriundus ex Tourcoing (Nord, Francogallia), su-

vicario generali dioecesis Parisiensis, antistiti d'Hulst [43], qui die 19 ianuarii illius anni gratias egit [44]. Alia nomina oblatorum a superioribus provincialibus admissorum nobis non sunt nota.

In documento supra relato diei 14 augusti 1856 notatur in fine, melius esse personas altioris ordinis vel dignitatis (« une personne de distinction ») ab ipso superiore generali inter oblatos admitti, sine dubio quia hac ratione maior solemnitas actui confertur. Certum est, varias personas directe superiorem generalem ad affiliationem obtinendam adiisse et ipsum p. Mauron sponte sua iam ab an. 1855 aliis diploma affiliationis concessisse [45]. Quamquam p. Mauron — prout scimus — nunquam sibi facultatem admittendi singulas personas ut Congregationis oblatos reservavit, videtur tamen admissio oblatorum a superioribus provincialibus decursu temporum paulatim obsolevisse [46]; non quidem decreto aut revocatione facultatis prius delegatae, sed via facti, quia sodales Congregationis, etiam superiores, ad obtinendam affiliationem pro amicis et benefactoribus superiorem generalem adibant, imo saepius intercessu superioris provincialis.

Conservantur quaedam formulae oblatos aggregandi, quibus p. Mauron usus est. In his diversae variantes notantur, quoad substantiam vero aequales sunt: conceditur participatio bonorum operum in Congregatione perfectorum, et hoc quidem ratione specialium meritorum et affectus erga Institutum eiusque (aut eius) fundatorem

perior Provinciae Gallico-Helveticae fuit ann. 1865-1887 et 1898. Ann. 1893-1894 Romae degit, consultor generalis a gubernio generali cooptatus.

43 Mauritius Le Sage d'Hauteroche d'Hulst (1841-1896) omnia fecerat in fundanda domo CSSR Lutetiis Parisiorum, quae die 2 aug. 1874 incepit. Cf. [J.-B. Lorthioit], *Mémorial Alphonsien*, Tourcoing 1929, 386. Epistula die 14 aug. 1874 antistiti data p. Mauron gratias egit: « Je profite de cette occasion pour vous exprimer encore toute ma reconnaissance pour tout ce que Vous avez fait en faveur de l'établissement de notre Congrégation à Paris. Dieu et St Alphonse Vous en tiendront compte, et Vous aurez la première part dans tout le bien que j'espère notre Congrégation y opérera en faveur des âmes abandonnées du boulevard Ménilmontant et des environs. Dans cette fondation j'ai vu le doigt de Dieu, qui nous appelait enfin à Paris. J'ai donc la confiance que sa divine Providence y veillera sur nous ». AGR XLIII 15 f.

44 In epistula, data p. Stanislao Lorrain, superiori domus Lutetiis Parisiorum, antistes d'Hulst haec addidit: « Car je puis bien vous dire en toute vérité que jamais rien dans ma vie ne m'a apporté une satisfaction plus pleine que votre établissement parmi nous ». Litteris diei 21 ian. 1875 ad p. Mauron datis p. Desurmont epistulam vicarii generalis adiunxit: « J'envoie ci-inclus [...] une lettre du bon Mons. d'Hulst, à qui nous avons donné le diplôme d'oblat ». Epistulae conservantur in AGR XLIII 15 f (epist. d'Hulst) et AGR, Prov. Gallico-Helvetica IV 7 (epist. Desurmont).

45 Conservatur in AGR XLIII 40 fasciculus epistularum, inter quas multae petitiones admissionis ad affiliationem sicut et litterae circa concessionem huius gratiae.

46 Notetur tamen etiam posterioribus annis affiliationem a quodam superiore provinciali esse concessam, uti an. 1875 antistiti d'Hulst a p. Desurmont. Vide supra.

s. Alfonsum [47]. Conservatur etiam *Liber Oblatorum* ann. 1855-1893 [48], in quo oblati a p. Mauron aggregati inscripti sunt cum paucis, in fine, ab eius successore p. Matthia Raus ann. 1893-1895 admissis [49].

Aliquoties tamen sodalibus piae associationis laicorum concessa est tantum participatio bonorum operum Congregationis « absque titulo oblatorum », ut expresse notatur in casu Sodalitatis ab Orationis Apostolatu [50]. Aliae associationes, quibus solum participatio bonorum operum a p. Mauron concessa est, in *Libro Oblatorum* non notantur, quod facile intellectu est, quia socii non ut oblati considerabantur [51]. Distinctio autem inter personas quae solum fruebantur participatione Congregationis meritorum et oblatos subtilior videtur: status oblati enim re et usu non habebat alium effectum nisi reddendam personam hoc titulo insignitam bonorum operum participem.

Dubium tamen manet, num omnes oblati a p. Mauron ann. 1855-1893 admissi in *Libro Oblatorum* enumerentur [52]. Profecto non semper statim, in actu affiliationis, eorum nomina inscripta sunt, uti patet ex eo quod nonnumquam dies aut nomen desiderantur pro quorum indicatione spatium album reservatum est [53], et bis notitia aggregationis, extra ordinem chronologicum in fine paginae est adiuncta [54]. Aliud indicium quod in conferenda aggregatione non semper omni cura et diligentia agebatur, eo habetur quod quater eadem persona in elencho, sub diversis diebus, ut oblatus inscriptus invenitur [55].

---

47 Formulae conservantur in AGR, *sectio* Oblati VI 1 (Mauron) et in *Libro Formularum*. Quinque antiquiores (1855-ca. 1860) edentur infra, Doc. II; quattuor posteriores (1870-1878) in Docc. IV-V.

48 *Liber Oblatorum* asservatur in AGR, *ut supra*. — Edetur infra, Doc. III.

49 Oblati a superioribus provincialibus admissi in *Libro Oblatorum* superioris generalis non enumerantur.

50 Vide infra Doc. III, sub die 30 iulii 1870.

51 Tria huiusmodi diplomata edentur infra, Doc. VI.

52 Certe non omnes oblati a p. Raus ann. 1894-1895 admissi in *Libro Oblatorum* notati sunt.

53 Spatium album reservatur pro nomine in aggregationibus dierum 11 IX 1863, 31 X 1885, 18 II 1886 (Gagliardi), 11 II 1892, 1 II 1895. Spatium album reservatur pro die in aggregatione episcopi Michaelis Payá y Rico, quae, ut aliunde scimus, die 8 XII 1866 concessa est. Dies desideratur in ultima notitia an. 1876, in illa mensis maii 1882 et in quattuor primis notitiis an. 1894.

54 Notitiae dierum 24 VI 1868 et 25 XII 1869. Primae quattuor aggregationes an. 1860 inscriptae sunt folio in codice adglutinato post mensem decembrem 1860. In editione *Libri Oblatorum* (Doc. III) omnes hae notitiae loco suo chronologico insertae sunt.

55 Rev. A. Sanguineti diebus 21 I 1866 et 5 VII 1881. Seb. Okely diebus 25 XII 1866 et 25 III 1874. Sorores Caritatis in Bavaria diebus 6 VIII 1877 et 5 IV 1887. Rev. G. Mosca diebus 20 XII 1882 et 1 XI 1892. Aliquoties aggregatio renovata est, novumque diploma missum, ob peculiares rationes: episc. Nic. Adames diebus 14 IX 1863

Non solum personae physicae aggregantur, aliquoties cum eorum propinquis, uxoribus et liberis, fratribus et sororibus, sed etiam congregationes religiosae aliaeque piae societates et confraternitates, cum omnibus sodalibus praesentibus et plerumque etiam futuris [56]. Quo in casu, si adhuc vivat sodalitium abhinc centum annos et amplius Instituto nostro aggregatum, sodales hodie viventes etiam nunc participes sunt meritorum bonorum operum in eo perfectorum.

Quoad personas tamquam oblatos aggregatas notatu dignum est, complures ex-redemptoristas inter eos inveniri, qui ob varias rationes Congregationem reliquerant [57]. Haec gratia eis non semel concessa est, postquam readmissionem in Institutum frustra petierant. Mirum certe non est, saepius parentes et cognatos nostrorum patrum affiliatione donatos esse. Quoad alios oblatos sufficit notare eos ad omne genus omnemque nationem pertinere. Inter eos inveniuntur clerici nondum ordinibus maioribus insigniti, sacerdotes, antistites, episcopi, cardinales aeque ac laici diversae conditionis, homines plebei aliique altioris dignitatis et nobilitatis.

Uti supra iam diximus, p. Mauron — quantum scimus — nunquam sibi reservavit facultatem oblatos singulos Congregationi aggregandi et die 15 iulii 1860 universo Instituto notum fecit elenchum facultatum a capitulo generali an. 1855 superioribus provincialibus

---

et 20 XII 1884, Cl. Auriemma diebus 1 I 1863 et 20 X 1873, Ioan. Kenyon diebus 16 V 1871 et 27 III 1880, Ios. Mazzarone die 1 VII 1887.

56 In notitiis *Libri Oblatorum* non semper indicatur aggregationem etiam extendi ad sodales futuros. In *Libro Formularum* tamen dantur « Inscriptiones Litterarum Aggregationis ». Sub III « Ordines et Communitates religiosae, Sodalitates etc. » semper mentio fit de « Patribus et Fratribus, Sacerdotibus sociis, Matribus et Sororibus, cunctis Sodalibus praesentibus et futuris », ideoque iure existimari potest in casu aggregationis associationum cuiuscunque generis etiam futuros sodales fuisse inclusos. In *Libro Oblatorum* sodales futuri expresse nominantur in aggregatione piae unionis « Pro gratiarum actionibus Deo solvendis » (Marseille) — 1 I 1863, piae unionis sub invocatione s. Alfonsi (Cento) — 6 VI 1866, instituti fundati a ven. Antonia de Oviedo y Schönthal (Ciempozuelos) — 9 VII 1867, Ordinis Carm. Excalc. in Malabar — 17 IV 1870, instituti sacerdotum « ab Immaculata Conceptione » (Rennes) — 7 VII 1872, Congregationis Sororum pauperum Scholarum (Rottenburg) — 19 X 1874, Congregationis Sororum Caritatis sub tit. « de Bono et Perpetuo Succursu » (Port-Louis) — 7 III 1877, Congregationis Filiarum B. M. V. de Compassione (Napoli) — 5 XI 1877, piae sodalitatis sub tit. « Apostolatus Suffragii » (Modena) — 12 IV 1878, Ordinis OFMCap. in Bavaria — 25 I 1879, orphanotrophii Marini in Montet — 1 I 1891, monasterii Visitationis B. M. V. (Poitiers) — 29 XII 1893.

57 Christianus Kauder — 2 XI 1855; Felix Brečka — 9 XI 1861; Eduardus von Unkhrechtsberg — 25 XI 1861; Franciscus Xav. Lempfried — 28 I 1868; Iosephus Bechtold (ex-novitius) — 15 II 1874; Harman Grisewood (ex-clericus studens) — 3 V 1876; Martinus Durnwalder — 3 I 1877; Wendelinus Guhl — 16 I 1877; Henricus Moeller — 21 X 1877; Andreas Dariz — 7 XII 1877; Iustinus Verhille (ex-novitius) — 29 XI 1878; Edmundus Delerue — 2 III 1880; Iosephus Neri — 3 III 1880; Henricus Morgan — 8 VI 1883; Ioannes Bapt. Schaumberger — 31 I 1885; Paulus Leick — 9 III 1888; Ioannes van Mens — 11 II 1892; Ludovicus De Winde — 12 II 1892.

delegatarum, in quo sub n° XII etiam comprehenditur facultas oblatos assumendi [58]. Paulo ante, die 24 maii 1860, superior generalis tamen sibi reservaverat « facultatem sodalitium oblatorum in domibus nostris canonice erigendi » [59].

Instante p. Mauron, die 23 augusti 1859 Breve pontificium edictum est, quo confirmabatur decretum die 29 iulii 1804 a S. Congregatione de Propaganda Fide in gratiam s. Clementis M. Hofbauer, qua Vicarii generalis Redemptoristarum in Germania et Polonia degentium, datum. Decreto hoc approbatum erat « sodalitium oblatorum sive aggregatorum Congregationi SS. Redemptoris in illis regionibus » a s. Clemente institutum, et associationi diversae gratiae ac indulgentiae concedebantur [60]. Quum tamen Redemptoristae postea etiam in aliis Europae regionibus, imo et in America sedem collocavissent, facultates an. 1804 s. Clementi concessae an. 1859 rogatu p. Mauron confirmatae et accuratius explicatae sunt [61].

Quia p. Mauron an. 1859 documentum solemne circa erectionem sodalitii oblatorum obtinuit et an. 1860 sibi erectionem per totum orbem reservavit, deducitur eum tunc serio de institutione huiusmodi associationis, Congregationi affiliatae, cogitasse. Conservantur variae deliberationes generales, rogationes statutorum et adumbrationes manualis sodalitii a pp. E. Bresciani, E. Douglas, A. Pfab, R. von Smetana et M. Ulrich exaratae [62]. Haec documenta diem appositum non habent, sed in textu aliquoties dies indicantur, ex quibus patet omnia scripta esse tempore decennii 1860-1869, excepto scripto p. Bresciani quod initio decennii sequentis confectum esse videtur [63]. Unicum scriptum cuius tempus confectionis accuratius cognosci potest, est illud a p. Douglas inscriptum: « Confraternita del SS. Redentore sotto il patrocinio di Maria SS.ma del Perpetuo Soccorso e di S. Alfonso M^a^ de Liguori ». In folio huic scripto adiecto [64] legitur in

---

58 N. MAURON, *Litterae circulares*, Romae 1896, 65.

59 *Ibid.* 54.

60 Decretum aliquotiens editum est; vide supra, notam 26.

61 Breve diei 23 aug. 1859 aliquoties editum est: *Elenchus facultatum et gratiarum*, [ed. SMETANA], Monachii 1860, 50-53; *Documenta authentica*, [ed. SCHOBER], Ratisbonae 1903, 298-301. Documentum originale (in membrana) conservatur in AGR.

62 AGR, *sectio* Oblati VI 1 (Mauron).

63 In hoc scripto s. Alfonsus semper ut Doctor Ecclesiae indicatur, quo titulo die 7 iulii 1871 decoratus est. Die tamen 23 martii Pius IX iam confirmaverat decretum S. Congregationis Rituum diei 11 antecedentis, qua re iter processus doctoratus finem habuit. Cf. *Spic. hist.* 19 (1971) 5-6.

64 Folium est inscriptum: « Considerazioni umilmente sottoposte a S[ua] P[aternità] R[everendissi]ma ».

fine: « Sono già 10 anni quasi dacché abbiamo il breve [65]. Non sarebbe possibile dar principio alla Confraternita il 25 di marzo, che in questo anno 1869 è pure Giovedì Santo »?

Titulus sodalitii oblatorum in scriptis pp. Douglas et Bresciani idem sonat: Confraternitas SS.mi Redemptoris sub patrocinio B. M. V. de Perpetuo Succursu et S. Alfonsi. Tamquam fines piae associationis indicantur sanctificatio propria sodalium et salus animarum, imprimis maxime derelictarum, quarum curae spirituali Redemptoristae se peculiariter impendunt. Mentio tamen non fit de quodam adiutorio immediate praestando in labore apostolico Congregationis, cum qua sodales confraternitatis erigendae tantummodo modo mere spirituali coniuncti sunt: opem ferunt missionariis oratione et vitae christianae exemplo, ex altera parte patres eos adiuvant ad vitam sanctam in spiritu Congregationis ducendam [66].

Quoad finem sodalitii oblatorum tempore p. Mauron propositi notetur, hunc certe diversum esse ab illo quem s. Clemens associationi suae posuerat, utpote qui voluerat ut sodales imprimis active in labore apostolico Congregationis coadiuvarent et in genere tamquam apostoli laici agerent. Unica significatio adiutorii effectivi ab oblatis in labore patrum praestandi habetur in scripto p. Douglas: « Si adopreranno poi colle orazioni, coll'esempio ed, in quanto possono, colle opere di aiutare i missionari nelle loro fatiche per la conversione dei peccatori e delle anime più abbandonate ». Adiutorium *operibus* praestandum tamen non accuratius circumscribitur. Ast ex eius « Considerationibus R.mo Patri traditis » sequi videtur, haec opera potius in campo mere materiali accipi. Postquam enim de utilitate subsidii spiritualis ab oblatis Congregationi dati locutus est, continuat: (« Un tale soccorso ci sarebbe assai profittevole) [...] sì nel temporale, in quanto tutti questi Confratelli cercherebbero con impegno di sovvenire [ad] ogni nostro bisogno ».

P. Bresciani in ultimo capitulo sui scripti exhortat oblatos ad apostolatum quendam exercendum [67]. De adiutorio in apostolatu Re-

---

65 Breve die 23 aug. 1859 edictum erat.

66 P. Douglas commendat amorem et imitationem Iesu Christi, « ed una comunione al mese, fatta (se possibile) nel giorno 25, in cui noi e le monache [Redentoristine] rinnoviamo i ss. voti per amore a G. C. ». P. Bresciani commendat peculiariter in suo scripto observantiam duodecim virtutum secundum praxin Redemptoristarum. Cap. III (pp. 14-35) adumbrationis sui manualis oblatorum intitulatur: « Pratica delle dodici virtù specialmente raccomandate agli Oblati ».

67 Cap. IV (pp. 35-38) intitulatur: « Zelo che deve animare gli Oblati del SS. Redentore ». Passus infra transcriptus habetur in § 3 (p. 38).

demptoristarum tamen non fit mentio.

Sebbene non v'abbia Dio chiamato a convertire le anime con la predicazione della sua divina parola, voi potete nondimeno esercitare il vostro zelo con buoni e caritatevoli avvisi dati al prossimo. [...] Se la vostra posizione sociale vi conferisce qualche autorità, sappiatevene prevalere per esortare quei che vi sono soggetti a la fuga del peccato e alla pratica delle cristiane virtù; animateli alla preghiera, alla frequenza dei sacramenti, all'udire la divina parola. Mostrate soprattutto il vostro zelo verso i malati e gli agonizzanti, quelli specialmente che vi sono fratelli nel pio sodalizio; visitateli, consolateli, animateli a sopportare con pazienza ed amore i loro patimenti. [...] In fine, contribuite, secondo la vostra condizione, alle buone opere che tendono alla gloria di Dio e alla salute delle anime.

Sodalitium oblatorum regimine p. Mauron tamen institutum non est, nec in domo principali, SS. Redemptoris, Romae, nec in aliis domibus Congregationis. Ratio cur superior generalis a cogitatu suo discesserit nos fugit. Probabilis nostra coniectura est, p. Mauron consilio destitisse, postquam die 23 maii 1871, rogatu eius, card. Constantinus Patrizi, Urbis vicarius, in ecclesia domui Congregationis principali adnexa Piam Unionem in honorem B. M. V. de Perpetuo Succursu erexerat [68], cui mox multi fideles ex omni ordine et natione nomen dederunt [69]. Brevi pontificio diei 31 martii 1876 Pia Unio in Archisodalitatem evecta est [70], quae paulo post per multas ecclesias Redemptoristarum aliasque diffusa est [71].

P. Mauron, pro sua permagna veneratione erga B. M. V. de Perpetuo Succursu, has associationes omni qua par erat auctoritate et vi promovit. Facile ergo intellectu est, eum non aliud sodalitium instituisse, quod haberet quasi eundem spiritum et finem. Insuper sodalitium oblatorum esset domibus et ecclesiis Redemptoristarum circumscriptum, ubi primae confraternitates aggregatae B. M. V. de Perpetuo Succurso erectae sunt. Duplicatio institutorum fuisset fidelibus potius nociva quam salutaris, nec Ecclesiae nec Congregationi utilis.

---

[68] Rescriptum originale conservatur in AGR, *sectio* B.M.V. de Perp. Succ. IX 2.

[69] Album Piae Unioni adscriptorum, a die 4 iunii 1871 usque ad diem 14 iunii 1876, conservatur in AGR, *ut supra* IX 1. Iam primo anno 4025 sodales nomen dederunt. Numerus universus adscriptorum est 5880.

[70] Breve originale (in membrana) conservatur in AGR, *ut supra* IX 3.

[71] Die 15 iunii 1876 ipse Pius IX Archisodalitati nomen dedit. Cf. [A. WALTER], *Villa Caserta, 1855-1905,* Roma 1905, 115.

## DOCUMENTUM I

Exemplar formulae oblatos Congregationis admittendi, die 14 aug. 1856 Romae datum, et superiori provinciali Francisco Masson missum; additis quibusdam indicationibus, quomodo in re agendum sit.

Documentum, a p. Eduardo Schwindenhammer scriptum et a p. Nicolao Mauron subscriptum, conservatur in archivo Provinciae Lugdunensis CSSR, A I 45.

14ª Aug. 1856. Formula saeculares [1] admittendi tamquam oblatos Congregationis.

Le Provincial ne met pas *Nos* dans le titre, mais il commence tout simplement par l'adresse suivante:
Pour un prêtre: Reverendo ac in Christo dilectissimo Domino N. N., sacerdoti dioecesis N. N., parocho in N. (ou tout autre titre).
Pour un homme du monde: In Christo dilectissimo Domino N. N.

Virtute facultatis a S. Sede Superiori Generali et Rectori Majori Congregationis SS. Redemptoris concessae, admittendi ad participationem bonorum operum fideles utriusque sexus, pietate conspicuos, et favoribus auxiliisque suis eamdem Congregationem prosequentes, beneque de ea meritos: ex speciali delegatione R.mi P. Nicolai Mauron, ejusque nomine, Nos tenore praesentium Te, Reverende ac in X° dilectissime Domine (ou bien pour un homme du monde: Te, in X° dilectissime Domine), cooptamus ac declaramus in vita et in morte [2] undequaque participem omnium meritorum provenientium ex meditationibus, orationibus, poenitentiis, sacrificiis, missionibus, exercitiis spiritualibus, ceterisque, quae Dei misericordia opitulante in nostra Congregatione fiunt, piis ac meritoriis operibus.

Datum etc.

Votre Révérence est autorisée à faire traduire cette formule en français et en allemand pour ceux qui ne comprennent pas le latin; pourvu toutefois que la traduction soit fidèle [3]. S'il y avait une personne de

---

[1] Uti patet ex documenti textu, vocabulum « saeculares » hic significat tam sacerdotes saeculares quam laicos, omnes ergo personas non votis religiosis astrictas.

[2] In formulis ab ipso p. Mauron in admissione oblatorum adhibitis haec status explanatio non invenitur.

[3] Nescimus, num formula revera in linguas vulgares conversa sit.

distinction à recevoir, vous feriez bien de la faire recevoir par le R.me P. Général.

Romae, die 14 Aug. 1856[4]

Nic. Mauron C.SS.R.
Rect. Maj.

DOCUMENTUM II

Quinque antiquiores formulae aggregandi oblatos Congregationis, quibus p. Nicolaus Mauron primis sui regiminis annis 1855 — ca. 1860 usus est.

1

Formula adhibita in aggregatione Confraternitatis Misercordiae sub invocatione SS.mi Sacramenti, in Monte S. Savini[5], die 28 oct. 1855.
Documentum, a p. Michaele Haringer scriptum, habetur in AGR, *Liber Oblatorum, 1855-1893* (infra Doc. III), p. 1.

Nic. Mauron, Sup. Gen. et Rect. Maj. C.SS.R.

Pia Confraternitas Misericordiae sub invocatione SS. Sacramenti, nuper in Monte S. Savini dioecesis Aretinae erecta, litteras ad Nos dedit, quibus instanter petitur, ut eandem nostrae Congregationi aggregare velimus[6]. Preces istae ac desideria nobis pergrata fuerunt, quippe qui bene scimus, quem praeclarum finem sibi praelaudata Confraternitas proposuerit et quanto zelo et ardore Sodales egregium illum scopum attingere studeant.

Lubenti igitur animo dictam Confraternitatem vigore privilegiorum nostrorum Congregationi SS.mi Redemptoris aggregamus, illamque participem facimus omnium orationum, missarum, communionum, missionum, indulgentiarum, poenitentiarum omniumque operum meritoriorum, quae gratia Dei in nostra Congregatione fiunt, id solum exoptantes, ut dicta Confraternitas nostrae quoque Congregationi precibus et piorum operum meritis subveniat.

---

4 Dies appositus est a p. Mauron m.p., qui et subscripsit.

5 Monte San Savino, prope Arezzo (Toscana).

6 Petitio confraternitatis una cum epistula Matthiae Filippi, « Provveditore », diei 24 oct. 1855 conservatur in AGR XLIII 40. In charta aversa petitionis p. Haringer scripsit diploma aggregationis.

2

Formula adhibita in aggregatione ex-Redemptoristae Christiani Kauder[7], die 16 nov. 1855.

Documentum, a p. Michaele Haringer scriptum, habetur in AGR, *Liber Oblatorum, 1855-1893* (infra Doc. III), p. 2.

Nic. Mauron etc.

Virtute privilegiorum, quae Nobis a Summis Pontificibus concessa sunt, Te, Rev. Christ. Kauder, tuum erga Congregationem nostram amorem considerantes, admittimus et cooptamus ad participationem omnium orationum, disciplinarum, precum, suffragiorum, eleemosynarum, jejuniorum, missarum, horarum canonicarum ac caeterorum bonorum spiritualium [operum], quae opitulante misericordia Dei in nostra Congregatione peraguntur.

In quorum fidem praesentes litteras concessionis propria manu subscripsimus, sigilloque Congregationis nostrae munivimus.

Datum Romae, ex domo nostra ad SS. Redemptorem et in honorem S. Alphonsi, die 16 Nov. 1855.

3

Formula adhibita in aggregatione Congregationis Oblatorum B. M. V.[8], die 8 sept 1857.

Documentum, scriptum a p. Michaele Ulrich, habetur in AGR, *Liber Formularum* (tempore p. Mauron adhibitarum), pars II, n. 26.

Nicolaus Mauron, Cong.nis SS. Redemptoris Superior Generalis et Rector Major, R.mo P. Joanni Baptistae Isnardi, Rectori Majori Cong.nis Oblatorum B. M. V., omnibusque Reverendis Patribus et Fratribus ejusdem Congregationis: Salutem in Domino sempiternam.

Venerabili Congregationi Oblatorum B. M. V., ab insigni Servo Dei Brunone Lanteri[9] b.m. fundatae et Regulam S. Alphonsi Ma-

---

[7] Christianus Kauder, n. 3 V 1817 Ettelbrück (Luxemburgum), sac. 24 VIII 1840, prof. 2 II 1844 (1845?), in Americam venit mense maio 1845, ubi dispensationem a votis petivit quae ei die 28 XII 1852 concessa est. Die 23 X 1855 readmissionem petivit a p. Mauron, qui die 15 XI seq. negative respondit, sed eum inter Congregationis oblatos admisit. Cf. AGR X E 15, pp. 10-11 (notitia biographica); AGR, Prov. Americana V 4 a (epistulae aliaque documenta dispensatorum, s. v. Kauder); AGR, Catalogi ms. IV, p. 54; XIII, n. 436.

[8] Congregatio Oblatorum B. M. V., inchoata 1814, reconstituta 1825, a Leone PP. XII approbata fuit 1826. Epistulae mutue datae inter p. Mauron et Oblatorum superiores conservantur in AGR XLIII 6 et XXX 8 (30-31).

[9] Pius Bruno Lanteri (1759-1830) fuit insignis propagator doctrinae asceticae et moralis s. Alfonsi. Cf. *Spic. hist.* 19 (1971) 7; *Miscellanea Card. Giuseppe Siri,* Genova 1973, 216. Heroicitas virtutis eius pronuntiata est die 23 nov. 1965.

riae de Ligorio, nostri Fundatoris, profitenti [10], laboribusque apostolicis, ad ejus exemplar, indefesso zelo sese devoventi, publicum observantiae et affectionis nostrae testimonium exhibere, nec non eximiam benevolentiam nobis demonstratam [11], in quantum possumus, rependere cupientes: dignissimum Moderatorem omnesque et singulos Patres et Fratres ejusdem Congregationis, praesentes et futuros, in perpetuum hisce litteris nostrae Congregationi SS.mi Redemptoris aggregamus, atque in virtute facultatum, a Sede Apostolica Nobis concessarum, omnium meritorum et gratiarum spiritualium, quae ex orationibus, meditationibus, mortificationibus, eleemosynis, sacrificiis, missionibus, exercitiis spiritualibus aliisque quibuscunque bonis operibus, Divina Misericordia opitulante, in nostra Congregatione peractis vel peragendis, proveniunt et in posterum provenient, participes reddimus.

Simulque piissimum omnium gratiarum et benedictionum coelestium Largitorem humillime deprecamur, ut mutua haec aggregatio, Sanctissima Virgine Immaculata, utriusque Instituti Patrona augustissima, et S. P. N. Alphonso intercedentibus, quemadmodum in perpetuum charitatis vinculum, ita etiam cedat in spiritualem utriusque Instituti profectum mutuamque sanctarum virtutum aemulationem, quo unum eumdemque finem nobis propositum tanto facilius et felicius attingamus in nostrarum aliarumque animarum salutem, sempiternumque Dei omnipotentis honorem et gloriam.

In cujus aggregationis perpetuae fidem praesens hoc documentum propria manu subsignavimus et Congregationis nostrae sigillo munivimus.

Datum Romae, in Collegio nostro ad SS. Redemptorem et in honorem S. Alphonsi, die 8ª Septembris 1857, festo Nativitatis B. M. V.

L. S. Nic. Mauron C.SS.R.
Sup. gen. et Rect. maj.

---

[10] Constitutiones, quas Lanteri Instituto suo dedit, spiritum alfonsianum — certo saltem modo — habent; a constitutionibus CSSR tamen plane differunt quoad dispositionem et formam. Non liquet, quid vocabulo « Regulam » in contextu proprie intendatur. Fortasse solum significatur, salutem animarum ab utroque instituto praecipue eodem modo, scil. ope missionum et exercitiorum spiritualium promoveri.

[11] Paulo ante, die 2 iulii 1857, Congregatio nostra aggregata fuit ad Congregationem Oblatorum B. M. V. cum communicatione omnium meritorum et gratiarum spiritualium. Documentum originale, a p. Ioanne Bapt. Isnardi, Rectore Maiore, et a p. Aloysio Dadesso, secretario, subscriptum, conservatur in AGR. Editum est in opere *Documenta authentica* [ed. SCHOBER], Ratisbonae 1903, 273-274.

4

Formula ca. an. 1860 adhibita, quae dici potest stereotipa, ab an. 1866 tamen mutata quoad titulum B. M. V., ut infra notabitur.

Documentum, mutatum ex parte a p. Michaele Ulrich, habetur in AGR, *Liber Formularum* (tempore p. Mauron adhibitarum), pars I, n. 6.

Nicolaus Mauron, Congregationis SS. Redemptoris Superior Generalis et Rector Major [12]: Salutem in Domino (sempiternam).

Virtute facultatis a Sancta Sede Superiori Generali et Rectori Majori Congregationis SS.mi Redemptoris concessae, admittendi ad participationem bonorum operum fideles utriusque sexus, pietate et charitate conspicuos; attento singulari quem Congregationi nostrae exhib... [*spatium album pro nomine et appellatione*] omnium meritorum provenientium ex meditationibus, orationibus, poenitentiis, sacrificiis, missionibus, exercitiis spiritualibus caeterisque, quae Dei misericordia opitulante in nostra Congregatione fiunt, piis ac meritoriis operibus participem (-es) facimus; sub speciali Beatissimae Virginis et Dei Genitricis Mariae sine labe conceptae, augustissimae Instituti nostri Patronae, necnon S. P. N. Alphonsi tutela et protectione constituimus; atque patentibus hisce litteris inter Oblatos SS.mi Redemptoris cooptatum (-am, -os, -as) et aggregatum (-am, -os, -as) esse volumus ac declaramus.

Datum Romae, in Collegio nostro ad SS. Redemptorem et in honorem S. Alphonsi, die...

N.B. Ab an. 1866 passus « Beatissimae Virginis... S. P. N. Alphonsi » sequenti modo redigebatur: « Beatissimae et Immaculatae Virginis Mariae de Perpetuo Succursu et S. P. N. Alphonsi » [13].

5

Altera formula ca. an. 1860 adhibita.

Documentum, scriptum a p. Michaele Ulrich, habetur in AGR, *Liber Formularum*, pars II, n. 27.

Nicolaus Mauron, Cong.nis SS. Redemptoris Superior Generalis et Rector Major, Reverendo (Illustri, Ill.mo, Amplissimo, Excell.mo,

---

[12] Nomen et titulus typis cusa sunt. Inter nomen et cognomen insertum est Congregationis insigne.

[13] In audientia patri Mauron die 11 dec. 1865 concessa Pius PP. IX decrevit imaginem B. M. V. de Perpetuo Succursu, olim in ecclesia S. Matthaei veneratam, Congregationi SS.mi Redemptoris tradendam esse. Die 26 apr. 1866 imago cultui publico

R.mo D.no N. N. Canonico, etc. — cf. I, n. 6 [14]): Salutem in Domino.

Tanta est (Ill.me... D.ne) Tua virtus et pietas, tanta in Congregationem nostram benevolentia, qua ipsam prosequeris (— hucusque prosecutus es, — prosequi non desinis, non desiisti), ut quidquid a Nobis mutui obsequii referri possit, id jure Tibi debitum existimemus. Cum vero nostrum in Te gratum (gratissimum) animum nulla ratione melius quam spiritualibus obsequiis declarare valeamus: hinc, virtute facultatis... (omnia ut in I, n. 6)... ac declaramus. Insuper Divinum nostrum Redemptorem humiliter obsecramus, ut hanc nostram concessionem de coelo ratam ac firmam habeat, et de inexhausto meritorum suorum thesauro nostram Ipse inopiam supplens, omni Te gratia et benedictione cumulet in hac vita ac denique coelestis gloriae corona remuneret in aeternum.

Datum Romae, ... ut in n. 26 [15].

---

restituta est in ecclesia SS.mi Redemptoris. Cf. *Spic. hist.* 14 (1966) 211-215. Uti iam supra dictum est, propagatio venerationis B. M. V. sub hac invocatione patri Mauron summopere cordi erat.

[14] Est documentum superius, sub n. 4 transcriptum.

[15] Est documentum supra sub n. 3 transcriptum (diploma aggregationis Congregationis Oblatorum B. M. V.).

## DOCUMENTUM III

*Liber Oblatorum, 1855-1893,* quibusdam notitiis additis ex ann. 1894 et 1895. Liber 46 paginarum (usque ad p. 9 incl. numeratarum), formae 19 x 13 cm, conservatur in AGR, *sectio* Oblati VI 1 (Mauron).

Annotationes fecerunt patres Michael Haringer, consultor generalis et Congregationis secretarius (1855-1858; pp. 1-3); et deinde secretarii superioris generalis Eduardus Schwindenhammer (1859-1862; pp. 3-9), Michael Ulrich (1862-1880; pp. 9-29) [1], Franciscus Xav. Reuss (1880-1895; pp. 29-46).

In editione quaedam notitiae aliquantum mutatae sunt ad maiorem uniformitatem consequendam et ut facilius percipi queant. Indicantur (ast non semper): dies aggregationis, nomen oblati, quis est et ubi degit, ratio ob quam gratia conceditur, persona qui admissionem petivit [2].

---

[1] P. Ulrich qui sub finem an. 1876 consultor generalis cooptatus erat, tres primos oblatos an. 1882 inscripsit (p. 32).

[2] Quia saepius superiores provinciales admissionem petierunt, rationes pro concedenda affiliatione non raro inveniuntur in eorum litteris ad p. Mauron.

## 1855

28 Octobris. — Confraternitas Misericordiae sub invocatione SS.mi Sacramenti, in Monte S. Savini, dioecesis Aretinae in Toscana [3].

2 Novembris [4]. — Sac. Christianus KAUDER [5].

## 1856

19 Martii. — Josephus WUILLAUME [6].

- - Josephus VALENTINI [7].

14 Julii. — R.mus et Ill.mus D. [Aloysius] GAGGIOTTI, subsecretarius S. Congr. Episc. et Reg.

- - Ven. Monasterium S. Bernardi in Narni.

## 1857

9 Februarii. — R. D. Franciscus NATALUCCI, archipresbyter in Trevi.

3 Septembris. — R. D. Andreas FROSCHAUER, parochus ad S. Leonardum, et R. D. Simon FIMBERGER, parochus in Rainbach, uterque dioecesis Linciensis, ac Amalia N., virgo in Frankenburg. — Ad preces P. Joannis Reindl, [rectoris] in Puchheim.

8 Septembris. — Congregatio Oblatorum B. Mariae Virginis [8].

---

[3] Diploma aggregationis transcriptum est supra, Doc. II 1.

[4] Dies admissionis rev. Kauder inter oblatos differt in notitia registri (2 XI) et in diplomate aggregationis (16 XI).

[5] Diploma aggregationis transcriptum est supra, Doc. II 2.

[6] Ios. Wuillaume validum Nostris auxilium praestitit in convertendo praedio 'Villa Caserta' in domum religiosam et in erigenda ecclesia contigua. Cf. [A. WALTER], *Villa Caserta, 1855-1905,* Romae 1905, 50, 53, 58.

[7] Ios. Valentini, ut videtur, primus fuit, qui patres advertit ad acquirendum praedium 'Villa Caserta' pro sede Congregationis centrali. Cf. WALTER, *op. cit.* 22. Die 11 ian. 1868 Valentini in ecclesia SS.mi Redemptoris exsequias habuit et sepultus est. « Venne sepolto vicino all'altare di S. Giuseppe, suo protettore, nella sepoltura a lui offerta dai superiori in ricompensa de' suoi buoni uffizj nell'acquisto della casa. E così quest'amico tanto desinteressato, che non volle mai ricevere nulla in vita, ricevé dopo morte dalla gratitudine nostra una onorevole sepoltura e messe pel riposo dell'anima sua ». *Cronica della Casa Generalizia del SS.mo Redentore* I 99, sub die.

[8] Diploma aggregationis transcriptum est supra, Doc. II 3.

## 1858

3 Februarii. — Dom. Franciscus Xav. FIORE, Ordinis S. Gregorii Magni eques, Beneventanus, cum tota familia sua [9].

## 1859

24 Decembris. — Dom. Salvator COLAZINGARI, ex Alatri, necnon ejus familia [10].

- - Dom. REUTER, ex Luxemburg; juvenis pietate conspicuus.

- - R. D. Franciscus Xav. FONTANA, parochus et decanus in Ependes, dioecesis Lausannensis; vir Congregationi nostrae addictissimus.

## 1860

6 Januarii. — Josepha PADERI, virgo romana.

9 Augusti. — Dom. Carolus de DILGSKRON, ex archidioecesi Viennensi, necnon ejusdem familia [11].

- - R. D. Ludovicus Paulus Ambrosius LEBEAU, canonicus cathedralis Meldensis in Gallia; benefactor noster.

- - R. D. Joannes Petrus ROYANNAIS, parochus in Chauffry, dioecesis Meldensis in Gallia.

8 Septembris. — Dom. Ludovicus HUET, ex Gallia (demeurant à Genève), ejusque familia.

5 Octobris. — R. D. Josephus SCHAAL, parochus in Kogenheim, dioecesis Argentinensis, necnon ejus consanguinei usque ad tertium gradum inclusive.

20 Octobris. — R. D. Petrus LAURENT, parochus in Téterchen, dioecesis Metensis.

---

9 Libellus supplex a Francisco Fiore porrectus (sine die) conservatur in AGR XLIII 40.

10 Epistula diei 3 nov. 1859 ad p. Eduardum Douglas data p. Michael Feola aggregationem petivit, addens: « Sappia che se la mia penna fosse di oro, non varrebbe certamente a lumeggiarle su questa pagina i meriti religiosi della famiglia in parola ». AGR XLIII 40. — P. Douglas tunc erat superior Provinciae Romanae.

11 Parens patrum Caroli (consultoris generalis 1894-1909) et Ottonis von Dilgskron.

29 Octobris. — Dom. Henricus DESURMONT, ex archidioecesi Cameracensi, ejusque familia, necnon consanguinei usque ad secundum gradum inclusive [12].

- - D.na Elisabeth HESS (la mère du P. Grünblatt), ex dioecesi Argentinensi, ejusque familia, necnon consanguinei usque ad secundum gradum inclusive.

7 Novembris. — R. D. Matthias MARTINI, canonicus cathedralis Trevirensis, vicarius generalis episcopi Trevirensis.

19 Decembris. — Dom. Petrus STOUFFLET, ex dioecesi Metensi, ejusque familia, necnon consanguinei usque ad tertium gradum inclusive.

## 1861

10 Junii. — Dom. Joannes Ludovicus GUILLAUME, ex dioecesi Londinensi in Anglia [13].

26 Septembris. — Dom. Alphonsus CITARELLA, ex dioecesi Sorensi (Sora) in Regno Neapolitano, ejusque familia.

- - Eques Leopoldus RAUCCI, neapolitanus, ejusque familia.

9 Novembris. — R. D. Henricus HURTER, presbyter archidioecesis Viennensis in Austria.

- - R. D. Felix BRECKA, Bohemus, olim ex Congr. SS.mi Red., nunc archidioecesi Viennensi in Austria adscriptus [14].

17 Novembris. — R. D. Rudolphus PREXEL, parochus in Kattau, dioecesis S. Hippolyti in Austria.

- - R. D. Josephus ZIMMERL, parochus in Burgschleinitz, dioecesis S. Hippolyti in Austria.

- - R. D. Michael BRENNER, parochus in Roggendorf, dioecesis S. Hippolyti in Austria [15].

25 Novembris. — Dom. Vitus SCHOETTINGER, ex Ried, dioecesis Linciensis in Austria; benefactor Monialium SS.mi Redemptoris.

- - R.mus D. Eduardus eques ab UNKHRECHTSBERG, canonicus cathedralis Olomucensis in Moravia, praelatus infulatus parochialis ecclesiae ad S. Mauritium Olomucii [16].

---

12 Parens patris Achillis Desurmont, de quo vide notam 42 ad introductionem.

13 *Recte*: archidioecesis Westmonasteriensis (Westminster, London).

14 Felix Brečka (Bretschka), n. 5 II 1817 Rozinka (Moravia), prof. 28 XII 1842, sac. 27 VII 1845, in Americam advenit die 24 III 1848. Die 9 I 1857 e Congregatione dimissus est, quae decisio die 5 V 1857 (in forma expulsionis) est confirmata. Cf. AGR, Catalogi ms. XI 1, n. 140; XII, p. 64; XIII, n. 353.

15 Sacerdos sanctae vitae. Vide *Spic. hist.* 5 (1957) 36, n. 23.

16 Eduardus von Unkhrechtsberg, n. 19 VII 1797 Puchberg (Oberösterreich),

10 Decembris. — R. D. Antonius RICHTARSKY, parochus in Liptin, archidioecesis Olomucensis.

- - Dom. Jacobus RICHTARSKY ejusque filii Joachim, presbyter, et Franciscus, necnon ejus filia Anna.

## 1862

6 Januarii. — Dom. Leontius MARCHAIN, ex archidioecesi Bituricensi in Gallia, ejusque consors Rosalia, utpote benefactores Congregationis, necnon utriusque consanguinei usque ad secundum gradum inclusive.

23 Januarii. — R. D. Ludovicus REIBEL, presbyter dioecesis Argentinensis, parochus in Silzheim.

29 Maji. — R. D. Josephus PHILIPPI, decanus in Molsheim, dioecesis Argentinensis; vir Congregationi nostrae addictissimus, speciali vero modo collegio nostro in Avon.

14 Junii. — Dom. Jacobus ANDREUCCI, civis Trebiensis, in archidioecesi Spoletana, necnon consors ejus Catharina.

30 Junii. — R. D. Paulus FABIANI, praepositus ecclesiae cathedralis Eugubinae.

13 Decembris. — R. D. Joannes Philippus MUELLER, parochus in Kerbach, dioecesis Metensis in Gallia.

## 1863

1 Januarii. — D.na Clara AURIEMMA, ex Marsilia in Gallia, omnesque sodales tam praesentes quam futuri Piae Unionis nuncupatae « Pro gratiarum actionibus Deo solvendis ». — Renovata die 20 Octobris 1873 [17].

7 Februarii. — R. D. Andreas MARTINEZ de NOBOA, parochus oeconomus in Hispania (Matriti); ob singularem ejus erga Congregationem benevolentiae affectum [18].

---

prof. 2 VIII 1821, sac. 1 IX 1822, die 27 VII 1831 a votis dispensatus erat. Ab an. 1867 in domo CSSR in Leoben (Stiria) vixit, ubi mortuus est die 30 III 1870, votis in articulo mortis renovatis. Cf. AGR, Catalogi ms. XI 1, n. 12; XI 3, n. 9; XIII, n. 71. Notitia biographica in *Litterae annales de rebus gestis Prov. Austriacae CSSR, an. 1887*, Viennae 1888, 19-20; etiam in *Spic. hist.* 2 (1954) 276, n. 172.

[17] Sub die 20 oct. 1873 affiliationis renovatio non est notata in registro.

[18] « El instrumento de Dios para llevar a efecto la fundación española había de ser un sacerdote madrileño, que debe figurar en esa empresa como el primero y

12 Februarii. — Ill.mus ac Rev.mus mons. Aloysius CHAILLOT, Romae, qui ipsemet aggregationem petiit.

19 Martii. — R. D. Ferdinandus BACELLIERI, parochus in Galeazza, archidioecesis Bononiensis [19]. — Petente rectore collegii Finariensis [20].

- - Ill. ac nobilis vir Finariensis, D. Cajetanus GRILLENZONI. — Idem.

- - R. D. canonicus Josephus GHIZINGHELLI, rector seminarii Finariensis. — Idem.

- - R. D. canonicus Caesar AGNINI, archipresbyter civitatis Finariensis. — Idem.

23 Maji. — Dom. Josephus WALTER, Amérique; à cause des services rendus à la Congrégation en qualité de frère lai candidat, menuisier [21].

11 Septembris. — R. D. [*spatium album pro nomine*] RITZ, parochus in Stiring, dioecesis Metensis.

- - R. D. [*spatium album pro nomine*] HOFFMANN, parochus in Guenkirchen [22], ejusdem dioecesis.

14 Septembris. — Ill.mo ac R.mo D. Nicolao ADAMES, episcopo Halicarnassensi et vicario apostolico Magni Ducatus Luxemburgensis [23].

## 1864

2 Februarii. — Adm. Rev. Matri Superiorissae caeterisque Rev. Matribus ac Sororibus ven. monasterii Ord. Carmelitarum in civitate Charleroi, dioecesis Tornacensis.

9 Martii. — Ill.mae ac nobilissimae D.nae Mariae Joannae de LANCASTRE (Infante de Portugal) [24].

---

más insigne bienhechor — y más bien padre che bienhechor — y que se llamaba Don Andrés Martínez de Noboa ». D. de FELIPE, *Fundación de los Redentoristas en España*, Madrid [1965], 11; cf. 20.

19 Notitiam biographicam Ferdinandi Baccilieri (1821-1893) dedit D.-M. Montagna in *Dizionario degli Istituti di Perfezione* I (1974) 1018-1019. In AGR conservantur quaedam epistulae originales a sac. Baccilieri p. Mauron datae.

20 Rector collegii CSSR in Finale (archid. de Modena) tunc erat p. Antonius Bernabei.

21 In epistula diei 12 apr. 1863 superior Provinciae Americanae, Ioannes De Dycker, casum superiori generali exposuit, petens affiliationem. AGR, Prov. Americana I (sub die).

22 Guénange (Moselle).

23 Die 24 oct. 1863 episcopus gratias egit pro affiliatione. AGR, Prov. Germaniae inferioris XI 6.

24 Conservantur quaedam epistulae Dominae Mariae, ann. 1863-1864, in AGR XLIII 40.

8 Julii. — R.mo D. Hieronymo DEVELASCO, canonico ecclesiae cathedralis Centumcellarum [Civitavecchia].

9 Augusti. — R. D. Edvino MARTIN (anglais).

18 Augusti. — Ill.mae ac nobilissimae D.nae Helenae de LANCASTRE, comitissae Murciae (soeur de la susdite Infante de Portugal).

12 Septembris. — Dom. Josephus SORG ejusque consors Catharina HUCK, ex Niederbronn in Gallia, dioecesis Argentinensis.

25 Septembris. — Ill.mo ac R.mo D. Casparo MERMILLOD, episcopo Hebronensi i.p.i. (à Genève)[25].

15 Octobris. — Ill.mo ac R.mo D. Raphaeli MONACO LA VALLETTA, S. Congregationis Inquisitionis assessori etc.[26].

25 Octobris. — Ill. ac nobili D.nae Hyacinthae d'HOFFALIZE, natae Adelae de PREZ-CRASSIER, dioecesis Nanceiensis; ob beneficia domui S. Nicolai praestita.

8 Novembris. — D.no Ludovico LAMMENS ejusque conjugi Herminae MULDER; Julio LAMMENS (filio), una cum filiabus Maria et Clara; Elisae et Eugeniae LAMMENS (filiabus), una cum hujusce marito et filiis; Theresiae Mariae LAMMENS, nepti; civitatis et dioecesis Gandavensis in Belgio[27].

## 1865

5 Junii. — D.no Joanni QUIN ejusque conjugi Annae Mariae ac liberis, dioecesis ac civitatis Limericiensis.

6 Octobris. — Ill.mo ac R.mo D. doctori Carolo KLEIN, praelato domestico D. N. Pii PP. IX, vicario generali episcopi Limburgensis.

- - Ill.mis ac R.mis DD. Aloysio et Josepho canonicis CONTI, Cajetano CONTI, diacono, necnon Ignatio CONTI ejusque uxori ac filiis, civitatis vulgo dictae Ceprano, in dioecesi Verulana.

---

25 « 1864, Settembre 18-25. Fanno da noi il loro ritiro preparativo all'episcopato Mgr. [Pier Franc.] Meglia, destinato alla Nunziatura del Messico, e Mgr. [Gaspare] Mermillod, nominato vescovo di Ginevra [*recte*: episc. tit. de Hebron]. Vennero preconizzati nel concistoro del 22 e consacrati da Pio IX li 25 ». *Cronica della Casa Generalizia del SS.mo Redentore* I 68. Epistulae inter Mermillod et Mauron mutue datae conservantur in AGR XLV 2 d.

26 « 1864, Ottobre 10-15. Fa da noi gli esercizj Mgr. Monaco La Valletta, assessore del S. Ufficio ». *Cronica*, ut supra.

27 Familia p. Ioannis Lammens (1823-1875), qui a die 19 oct. 1864 p. Mauron operam in epistulis scribendis praestabat. Cf. *Cronica*, ut supra, 69; WALTER, *op. cit.* 143.

18 Decembris. — R. D. Josephus canonicus FRONDUTI, dioecesis Eugubinae, ejusque pater Dom. Petrus FRONDUTI.

1866

21 Januarii. — R. D. Aloysius SANGUINETI, sacerdos Januensis [Genova], Romae commorans.

9 Aprilis. — R. D. Venceslaus BRESCIANI, civitatis Finarii in archidioecesi Mutinensi.

11 Aprilis. — R. D. Jacobus Joachim canonicus ALSINA, dioecesis ac civitatis Barcinonensis in Hispania.

3 Junii. — D.no Joanni MOBILI ejusque familiae, civitatis Montis S. Joannis, dioecesis Verulanae.

- - D.no Bonaventurae DE ANTONIIS, ibid.

- - D.no Josepho CARIUCI ejusque conjugi Dominicae, ex Colleberardi, dioecesis Verulanae.

6 Junii. — R.mo Antonio canonico AMADEI, archipresbytero in Cento, archidioecesis Bononiensis, omnibusque sacerdotibus sociis, tam praesentibus quam futuris, Piae Unionis sub invocatione S. Alphonsi [28].

27 Septembris. — D.no Cajetano MASTELLO (uffiziale dell'officina di scrittura delle Reali Cavallerizze di S. M. Siciliana) ejusque consorti, consanguineis et affinibus in primo et secundo gradu. — « Attentis enixis a Te Nobis porrectis precibus » [29].

[*Spatium album pro die*]. — Ill.mo ac R.mo D. Michaeli PAYA Y RICO, episcopo Conchensi [30]. — Formula specialis [31].

25 Decembris. — D.no Sebastiano OKELY, dioecesis Beverlacensis in Anglia.

- - Dom. Carolo WAYTE, dioecesis Cliftoniensis in Anglia.

---

28 Die 21 dec. 1868 canonicus gratias egit pro affiliatione, votum exprimens ut in proximo concilio s. Alfonsus Ecclesiae Doctor declaretur. AGR XLIII 40.

29 Libellus supplex a Caietano Mastello porrectus (sine die) conservatur in AGR XLIII 40.

30 Michael Payá y Rico (1811-1891), episcopus de Cuenca 1858-1874, archiepiscopus de Compostela 1874-1886, inde archiepiscopus de Toledo, cardinalis nominatus die 12 martii 1877. Notitia biographica in *Diccionario de historia eclesiastica de España* III (1973) 1951, cf. 2058.

31 In AGR, *Liber Formularum,* pars IV, n. 1, transcripta habetur epistula p. Mauron ad episcopum, diei 8 dec. 1866, quacum diploma aggregationis est transmissum.

## 1867

2 Julii. — Ill.mae ac nobilissimae D.nae marchionissae Rosae Doz, viduae marchionis de SANTIAGO, archidioecesis Toletanae in Hispania [32].

- - D.nae Carmelae de la CONCHA (sorella di un ministro e di due generali), archidioecesis Toletanae.

- - D.nae Conceptae CEFRANGA, archidioecesis Toletanae.

9 Julii. — Illustri ac piissimae D.nae Antoniae de OVIEDO, archidioecesis Toletanae, ejusque sodalibus, tam praesentibus quam futuris, in loco vulgo Ciempozuelos (cento pozzi; casa di pentite) [33].

23 Octobris. — D.no Francisco ORLANDI ejusque conjugi Annae, Buxilongi, dioecesis Veronensis.

- - R. D. Petro CIANCHETTI, cum fratre Michaeli eorumque quattuor sororibus, ex Colleberardi, dioecesis Verulanae.

## 1868

28 Januarii. — Adm. R. D. [Xaverio] Augusto LEMPFRIED, degenti in Anglia, olim Congr. SS.mi Red. [34].

- - Ill.mo ac R.mo Archibaldo MACDONALD, districtus Scotiae orientalis vicario generali; ob novam fundationem in Scotia [35].

- - D.no Richardo DEVEREUX, civitatis Wexfordensis in Hibernia; ob benevolentiam in domum Limericiensem.

- - D.nis Vincentio et Thomassino GIANSANTI, civibus Frusinonensibus, una cum eorum consanguineis et affinibus usque ad secundum gradum inclusive.

15 martii. — Virgini Theresiae ULRICH, ex Saessolsheim, dioe-

---

32 Marchionissa operam suam dedit ad obtinendam approbationem CSSR a gubernio hispanico. Cf. D. de FELIPE, *op. cit.* 65.

33 Ven. Serva Dei Antonia de Oviedo y Schönthal (1822-1898), in religione Antonia M. a Misericordia, quae an. 1864 in loco Ciempozuelos (Hispania) asylum pro mulieribus periclitantibus aperuit et an. 1870 institutum religiosum fundavit sub titulo « Hermanas Oblatas del Santísimo Redentor ». In animo nobis est mox praesentare in his foliis epistulas datas acceptasque inter p. Mauron et ven. Antoniam. Epistulae quas scripsit p. Mauron conservantur in archivo centrali Oblatarum in Ciempozuelos, illae a ven. Antonia datae in AGR XLIII 41.

34 Franciscus Xav. Lempfried, n. 23 VI 1809 Lixheim (Lotharingia), prof. 8 XII 1833, sac. 18 II 1837, a votis dispensatus erat die 21 VIII 1845. Post iteratas preces readmissionis an. 1867 porrectas receptus est ut oblatus. Cf. AGR, Prov. Belgica XV a, p. 5 (notitia biographica); AGR, Prov. Anglica XI 1 (epistulae aliaque documenta dispensatorum, s. v. Lempfried); AGR, Catalogi ms. XIII, n. 198.

35 Domus CSSR in Perth incepit die 19 martii 1869.

cesis Argentinensis; ob servitia praestita domibus in Mulhouse et Bischenberg.

17 Aprilis. — R. D. Casimiro COBIZA, sacerdoti dioecesis Conchensis in Hispania.

20 Aprilis. — Exc. D. Josepho NACARINO BRAVO (vice-ministro degli affari ecclesiastici delle colonie spagnuole), qui magnam habuit partem in approbatione Congregationis in Regno Hispanico [36].

16 Maji. — Virginibus Alexandrae et Olympiae MACCIOCIA, ex Monte S. Joannis, dioecesis Verulanae; benefactricibus collegii Scifellensis.

24 Junii. — D.nae Gertrudi MACCIOCIA, ex Monte S. Joannis, dioecesis Verulanae, matri Alexandrae et Olympiae, de quibus supra.

28 Octobris. — D.no Alexandro AMBROSI ejusque familiae, ex Castro, dioecesis Verulanae; benefactoribus collegii Frusinonensis.

## 1869

24 Februarii. — Ill.mo ac R.mo D. Aloysio BRAGATO, protonotario apostolico etc., Pragae in Bohemia; ob servitia praestita in nova domo ibidem acquirenda.

- - Ill.mo ac Rev.mo Joanni Bapt. GASPARDIS (omnia ut supra).

31 Martii. — D.no Archibaldo Vincentio SMITH SLIGO ejusque conjugi Margaritae Mariae, una cum filiis Archibaldo Dominico et Ronaldo Jacobo, ex Inzievar prope Dumfermline in Scotia.

- - Adm. R. D. Gulielmo SMITH, philosophiae doctori, ejusque fratri Jacobo, necnon Jessiae, sorori, ex Inzievar prope Dumfermline in Scotia.

8 Aprilis. — Adm. R. D. Gervasio PESCIAJOLI, Priori ecclesiae parochialis S. Crucis, Trebiae (Trevi) in archidioecesi Spoletana.

- - Adm. R. P. ALOYSIO a Pedelama, Ord. Min. Ref., in s. theologia lectori, Trebiae.

23 Maji. — Ill.mo D.no Josepho comiti THUN-HOHENSTEIN, dioecesis Tridentinae.

20 Augusti. — Adm. R. D. Benedicto QUARTINO, archipresbytero et Vicario foraneo Voltrensi, archidioecesis Januensis (Genova) ejusque fratri Cajetano, sacerdoti, ac sorori Theresiae.

25 Decembris. — R. D. Josephus QUINTO, archipresbyter in

---

36 Cf. D. de FELIPE, *op. cit.* 65.

Montemilone, dioecesis Andriensis, et ejus mater.

- - R. D. Fridericus BARBAROSSA, theologus in Minervino, dioecesis Andriensis, et ejus frater Leopoldus, sacerdos.

## 1870

27 Januarii. — D.no Petro Paulo QUADROZZI, dioecesis et civitatis Verulanae, ob beneficia in collegium Scifellense.

17 Aprilis. — Ill.mo et R.mo D. Leonardo MELLANO, Ord. Carm. Excalc., episcopo Olympensi i.p.i. et vicario apostolico Malabariae, et suis confratribus in dicta missione, cum sacerdotibus tum fratribus laicis, praesentibus et futuris, necnon omnibus et singulis religiosis indigenis dicto Ordini adscriptis vel adscribendis. — Diploma speciale [37].

23 Aprilis. — D.nae Mariae HERVE; attentis singularibus Congregationi exhibitis venerationis ac benevolentiae signis. — Instante superiore Provinciae Belgicae.

4 Maji. — Adm. Rev. Matri superiorissae et sororibus Tertii Ordinis S. Francisci in vicariatu apostolico Surinamensi; attentis peculiaribus servitiis, praesertim in instituenda et excolenda juventute, missioni Surinamensi, Congregationi nostrae commissae, praestitis.

8 Maji. — Ill.mo ac R.mo D. Mariae-Ephrem GARRELON [38], Ord. Carm. Excalc., episcopo Nemesino i.p.i., vicario apostolico Quilonensi (Malabar) et administratori vicariatus apostolici Mangalorensis (Canarà), et omnibus, cum sacerdotibus tum fidelibus, in dictis missionibus degentibus [39].

30 Julii. — Adm. R. P. Henrico RAMIERE SI, moderatori Piae Societatis ab Orationis Apostolatu, et universis ejusdem sodalibus. — Diploma speciale; communicatio bonorum operum, absque titulo Oblatorum [40].

---

37 Diploma aggregationis transcribetur infra, Doc. IV 1.

38 Quando episc. Garrelon Romae degebat propter Concilium Vaticanum I, p. Mauron salutatum venit. *Spic. hist.* 10 (1962) 447.

39 Diploma aggregationis transcriptum habetur in AGR, *Liber Formularum*, pars I, n. 38.

40 Diploma participationis bonorum operum transcribetur infra, Doc. VI 1.

## 1871

2 Februarii. — D.nae Angelinae RUELL, Landseriae, dioecesis Argentinensis.

- - D.nae Leontinae LULLIER-RUELL (soeur de la précédente), civitatis et dioecesis Parisiensis.

- - D.no Aloysio ASCANI, causidico in Torre, dioecesis Alatrinae, ejusque consorti, filio Joanni et tribus filiabus Mariae, Constantiae et Hyacinthae.

16 Maji. — D.no Joanni Georgio KENYON, dioecesis Salopiensis in Anglia; benefactori domus in Perth.

16 Junii. — D.no Augustino ZAMA (amministratore della casa Poggi), Romae, ejusque matri Catharinae, necnon fratribus Francisco et Crescentino, ac sororibus Faustinae, Paulinae, Mariae et Judith. — Die 4 aprilis 1873 adjuncta fuit uxor Maria Caecilia.

2 Augusti. — D.nae Mariae Conceptae Doz, viduae comitissae de MIRASOL (soeur de la marquise de Santiago; voir 2 Julii 1867), archidioecesis Toletanae in Hispania.

25 Septembris. — D.no Antonio CAMERA ejusque conjugi ac filiis et filiabus, necnon ejusdem fratri R.mo D. Michaeli canonico CAMERA, archidioecesis et civitatis Amalphitanae, cum omnibus consanguineis et affinibus ad tertium usque gradum inclusive; ob beneficia in Congregationem Neapolitanam [41].

10 Novembris. Adm. R. D. Michaeli SUREDA, sacerdoti directori, Michaeli MEAIMO, Gulielmo OLIVER, Juliano PUIG, Jacobo VAQUER, Raphaeli BINIMELIS, Antonio BAUSA et Simoni OBRADOR. — Agrégation demandée par le P. Loyodice [41 a].

1 Decembris. — Adm. R. D. Francisco VERDUA, sacerdoti dioecesis et civitatis Veronensis; benefactori collegii de Bussolengo.

27 Decembris (jour de sa consécration). — Ill.mo ac R.mo D. Dominico RAMASCHIELLO, episcopo S. Agathae Gothorum; attenta praesertim electione in successorem S. P. N. Alphonsi [42].

---

41 Epistulae can. Michaelis Camera ad p. Mauron conservantur in AGR XLIII 13. Aliae eius epistulae ad p. Douglas in AGR XLVII, App. 21.

41 a Cf. TELLERIA, *op. cit.* II 977.

42 « 1871, Dicembre 27. Feria IV, in festo S. Joannis Ap., sua Em.za Sacconi, assistito dai R.mi Vescovi Franchi e Cardoni, consacra nella nostra chiesa il nostro P. Alessandro Basile. vescovo di Cassano [all'Ionio] in Calabria, Mgr. Ramaschiello, vescovo di S. Agata de' Goti, un Carmelitano, vescovo di Boiano, e quello di Valva e Sulmona ». *Cronica della Casa Generalizia del SS.mo Redentore* I 117. Fasciculus epistularum episcopi Ramaschiello ad p. Mauron, scriptarum ann. 1872-1885, conservatur in AGR XLIII 4.

1872

7 Julii. — R.mo P. C. CURTIER, necnon omnibus ac singulis alumnis, praesentibus et futuris, ven. Congregationis sacerdotum ab Immaculata Conceptione nuncupatae, fundatae in dioecesi Rhedonensi in Gallia; ob singularem devotionem erga S. Alphonsum [43].

30 Augusti. — D.no Valentino KOSCHEK (maître-maçon), in Silesia borussiana; ob beneficia praestita.

31 Augusti. — R.mo D. Gulielmo PLAZECK, directori spirituali in seminario Olomucensi.

16 Septembris. — R.mo D. Antonio canonico COCCHI, civitatis vulgo Fumone in dioecesi Alatrina, et fratri Caesari cum ejusdem familia.

2 Octobris. — D.no ROCHO, ex Polignano in archidioecesi Beneventana, et familiae.

1873

4 Aprilis. — Adm. R. D. Michaeli canonico CITTO, loci vulgo Taurasi (Napoli).

- - D.no Paschali VENERI, archidioecesis et civitatis Neapolis, ejusque consanguineis et affinibus usque ad secundum gradum inclusive.

22 Maji. — Virginibus Adelaidi, Annae et Vincentiae BELARDI, earumque nepti Helenae, Romae.

24 Junii. — D.nae Annae FRATTAREGLI, viduae b.m. Philippi CILEI, ejusque filiabus Elisabethae et Carolinae CILEI, loci Pastena in archidioecesi Cajetana.

- - Ill.mo ac R.mo D. Gerlando GENUARDI, episcopo Jaciensi (Acireale in Sicilia) [44].

8 Septembris. — D.no Crescentio CAPOZZI, loci vulgo Salsa, dioecesis Abellinensis, ejusque consanguineis et affinibus usque ad quartum gradum inclusive.

- - D.no Eugenio equiti SALOTTOLO, loci vulgo Campobasso, dioecesis Bojanensis, ejusque consanguineis et affinibus usque ad quartum gradum inclusive.

---

[43] Vide epistulas, quas superior Provinciae Gallico-Helveticae, p. Achilles Desurmont, mensibus iunii-iulii 1872 superiori generali dedit. AGR, Prov. Gallico-Helvetica III 6.

[44] Die 7 iulii 1873 episcopus gratias egit pro affiliatione; AGR XLIII 2, 27.

- - D.no Josepho equiti FRAGALA', loci vulgo Pizzo, dioecesis Miletensis, ejusque consanguineis et affinibus usque ad quartum gradum inclusive.

- - D.nae Helenae POMEE, in Hibernia. — Demande faite par la supérieure des Rédemptoristines de Dublin.

23 Octobris. — Ill.mo ac R.mo D. Ignatio de SENESTREY, episcopo Ratisbonensi in Bavaria; ob praeclara beneficia Congregationi nostrae in dicto regno praestita [45].

1874

23 Januarii. — Adm. R. D. Georgio HOENIG, parocho in Loitzenkirchen, dioecesis Ratisbonensis in Bavaria; benefactori collegii Vilsbiburgensis.

2 Februarii. — Ill.mo ac R.mo D. Josepho ex marchionibus DE BISOGNO [46], ab intimo cubicolo SS.mi D. N. Pii PP. IX.

15 Februarii. — R. D. Josepho BECHTOLD, clerico studenti in Universitate Friburgensi, in archidioecesi Friburgensi in Brisgovia, ex-novitio.

17 Februarii. — Adm. R. P. Marcellino L'HOIR [CSSR], rectori domus Leodiensis in Belgio et moderatori generali pro tempore Piae Archisodalitatis S. Familiae [47].

25 Martii. — D.no Sebastiano OKELY, dioecesis Beverlacensis in Anglia (résidant à Rome). — Jam aggregatus, die 25 decembris 1866.

6 Octobris. — Adm. RR. DD. Matthiae et Carolo CETTI MAGGI, Romae, et consanguineis usque ad secundum gradum inclusive.

- - Ill.mo ac R.mo D. Livino BRUNEEL, SS.mi D. N. Pii PP. IX praelato domestico et vicario generali episcopi Brugensis. — Demandé par le P. Godts, recteur à Roulers, Belgique.

19 Octobris. — Rev. Matri Philomenae STIEGELE, superiorissae generali Sororum pauperum Scholarum, dioecesis et civitatis Rottenburgensis in Regno Wurttembergiae, et omnibus ac singulis

---

45 Diploma aggregationis transcribetur infra, Doc. IV 2. Circa benevolentiam episcopi Ign. von Senestrey erga Redemptoristas, vide O. WEISS, *Die Redemptoristen in Bayern, 1790-1909*, München 1977, 1473-1474, 1615-1644, 1687-1718, e.a.

46 Primus passus diplomatis aggregationis transcriptus habetur in AGR, *Liber Formularum*, pars I, n. 43. Reliqua ut in diplomate die 23 oct. 1873 episcopo von Senestrey dato; infra Doc. IV 2.

47 Diploma aggregationis transcribetur infra Doc. V 1.

praelaudato Instituto adscriptis vel in posterum adscribendis sororibus [48].

21 Novembris. — Ill.mo et R.mo D. Bernardo O'Reilly, episcopo Liverpolitano in Anglia.

27 Novembris. — Adm. R. D. Joanni Francisco Catulle, sacerdoti dioecesis Brugensis in Belgio, oeconomo seminarii de Roulers.

6 Decembris. — R. D. Francisco Trivellini, sacerdoti dioecesis Vicentinae, bibliothecae ac musaei Bassanensis directori; pour des lettres de S. Alphonse [49].

8 Decembris. — D.nae Mariae Pereira, archidioecesis Dublinensis in Hibernia. — Demandé par la supérieure des Rédemptoristines de Dublin [50].

## 1875

27 Januarii. — R.mo D. Aloysio canonico Reggiani, vicario generali abbatiae nullius Nonantulanae [51].

5 Martii. — D.nae Mariae viduae Prospero Lambert, archidioecesis et civitatis Lugdunensis in Gallia.

8 Martii. — R. D. Victori Petro Genin, vicario paroeciae N. D. S. Vincentii, Lugduni in Gallia.

11 Aprilis. — Adm. RR. DD. Antonio Lionetti, Nicolao Urbano, Michaeli Vincitorio, Felici Urbano, ex Trinitapoli, dioecesis Fodianae; canonico Dominico Scorza, dioecesis Cassanensis.

1 Maji. — Adm. RR. DD. Gulielmo Vaquer, Cosimo Oliver, Gabrieli Artigues, et D.no Laurentio Juan, dioecesis Majoricensis (Mallorca).

30 Maji. — Adm. R. D. Carolo canonico D'Ottavi, provicario foraneo, civitatis vulgo Paliano in dioecesi Praenestina [Palestrina], cum parentibus, fratribus et sororibus, necnon consanguineis et affinibus usque ad secundum gradum inclusive.

---

48 Pars diplomatis aggregationis transcripta habetur in AGR, *Liber Formularum*, pars I, n. 43a.

49 Vide scriptum p. Adami Pfab, diei 1 martii 1876: « Relazione sul rinvenimento di molte lettere di s. Alfonso a Bassano Veneto », in quo etiam explanatur, quo modo hae epistulae a CSSR comparatae sint. AGR XXXIII 13 (64).

50 Epistula (sine die) in qua sor. M. Ioanna a Cruce casum exposuit, petens affiliationem, conservatur in AGR XLIII 40.

51 Die 3 martii 1875 canonicus gratias egit pro affiliatione, accepta intercessore p. Ioachimo Pasquali, tunc rectore domus CSSR in Scifelli. AGR XLIII 40. Ibi etiam aliae epistulae can. Reggiani, quibus magnam devotionem erga s. Alfonsum manifestat.

- - D.no Benedicto TUCCI-SAVO, civitatis vulgo Paliano in dioecesi Praenestina, cum conjuge Francisca STERBINI, filiis, necnon consanguineis et affinibus usque ad secundum gradum inclusive.

26 Junii. — D.no Vincentio FIORENTINO (notaro, fratello del nostro Padre), in Lercara-Ineddi, archidioecesis Panormitanae in Sicilia, cum ejusdem familia.

8 Julii. — Adm. R. D. Sebastiano PLANAS, dioecesis Majoricensis in Hispania.

5 Novembris. — D.no Petro MAGNARD du VERNAY, in civitate Castro-Rudolphi [Châteauroux], archidioecesis Bituricensis [Bourges] in Gallia; bienfaiteur de la maison de Châteauroux.

7 Novembris. — Adm. R. D. GAY-d'AUBILLY, canonico archidioecesis Bituricensis; idem.

21 Novembris. — D.no Salvatori FARINA, doctori medico, Neapoli.

23 Novembris. — D.no doctori MOOREN, celebri oculistae, civitatis Düsseldorf in archidioecesi Coloniensi; in testimonium sincerae gratitudinis pro eximio beneficio summa cura et singulari benevolentia nuper alumno nostrae Congregationis praestito (cataracte enlevée deux fois gratis au R. P. Held) [52].

16 Decembris. — D.nae Mariae Annae PROTANI, ex Monte S. Joannis in dioecesi Verulana; ob beneficia in collegium Scifellense.

## 1876

3 Maji. — D.no Harman GRISEWOOD, clerico studenti Congregationis nostrae in Anglia, die 1ª Maji dispensato [53].

21 Junii. — D.no Andreae TUZZI, una cum conjuge et sororibus, civitatis et dioecesis Soranae; benefattori di Scifelli.

26 Julii. — D.nae Emmanuelae de UGARTE, civitatis et archidioecesis S. Jacobi de Cile; fondatrice della casa di Santiago [54].

- - D.no Emmanueli Dominico de UGARTE et consorti D.nae Annae SMIT; fondatore, come sopra.

---

52 De oculorum morbo p. von Held eiusque curatione cf. C. DILGSKRON, *P. Friedrich von Held*, Wien 1909, 322-326.

53 Clericus Harman Grisewood dispensationem a votis petierat propter infirmitatem. Quoad casum cf. AGR, Prov. Anglica I (epistulae superioris provincialis, Roberti Coffin, mensibus aprili-maio 1876 superiori generali datae) et XI 1 (epistulae aliaque documenta dispensatorum, s. v. Grisewood). Vide etiam AGR, Catalogi ms. XII, p. 80; XV 1, n. 73.

54 Domus CSSR in Santiago de Chile incepit die 24 maii 1876.

Eodem tempore plura missa sunt diplomata pro famiglia OSSA (decem personae) benefactrice.

## 1877

3 Januarii. — R. D. Martino DURNWALDER, olim Congr. SS.mi Red.[55].

16 Januarii. — R. D. Wendelino GUHL, olim Congr. SS.mi Red., in America[56].

6 Martii. — D.no Josepho DECORATO, civitatis Canusae (Canosa), archidioecesis Barensis, ejusque conjugi Aemiliae, necnon filio Sabino, canonico, caeterisque consanguineis et affinibus usque ad secundum gradum inclusive. — Domandata dal P. [Vincenzo] Ortega; vari Padri furono ospitati da questa famiglia.

7 Martii. — Adm. R. D. Francisco Xav. MASUY, missionario apostolico et parocho (à Port-Louis) in insula S. Mauritii, et Rev. Matri AUGUSTINAE, fundatoribus ven. Congregationis Sororum Charitatis sub titolo de Bono et Perpetuo Succursu, necnon omnibus et singulis praelaudato Instituto adscriptis vel in posterum adscribendis sororibus[57].

11 Aprilis. — Sororibus Mariae Thomasiae BAUER, Corsinae SCHULZ, Felicianae PETER ven. Congregationis Sororum Charitatis (Englische Fräulein) in Bavaria; benefactricibus Patrum dictae Provinciae in dispersione morantium.

12 Maji. — R. D. Josepho PISANELLI, dioecesis Abellinensis, parocho S. Martini in Val Caudina, cum consanguineis et affinibus usque ad secundum gradum inclusive.

---

55 Martinus Durnwalder, n. 16 I 1835 Welsberg (Tirolis), prof. 21 III 1856, sac. 9 IV 1859, die 1 IX 1873 dispensationem a votis petivit, quae ei die 16 IX seq. concessa est. Die 25 I 1876 readmissionem petivit. Cf. AGR, Prov. Austriaca XIII 1 (epistulae aliaque documenta dispensatorum, s. v. Durnwalder); AGR, Catalogi ms. VII, pp. 13 et 129; XII, p. 79; XIII, n. 802.

56 Wendelinus Guhl, n. 28 VII 1842 Krauchenwies (Sigmaringen), prof. 15 VI 1865, die 15 II 1872 a votis dispensatus erat. Die 13 XII 1876 readmissionem petivit. Cf. AGR, Prov. Americana V 4 b (epistulae aliaque documenta dispensatorum, s. v. Guhl); AGR, Catalogi ms XII, p. 78; XIII, n. 1206; J. WUEST, *Annales Congregationis SS. Redemptoris Provinciae Americanae*, vol. V, pars III, Boston 1924, 58-59.

57 Vide articulum historicum circa hanc Congregationem, fundatam die 18 iunii 1850, quem dedit G. Rocca in *Dizionario degli Istituti di Perfezione* II (1975) 345-346. Mater Augustina (Carolina Lenferna de Laresle) petivit aggregationem die 19 febr. 1877 et gratias egit die 18 martii seq. Die 21 iunii parochus Masuy gratias egit, adiungens: « Puissent les pauvres soeurs et leur vénérée Mère Supérieure mériter toujours, à Rome et ailleurs, la protection de votre saint institut, qui leur est d'une si grande ressource dans leur jour d'épreuves ». Epistulae conservantur in AGR XLIII 17 g.

4 Junii. — R.mo D. Henrico Josepho Ludovico canonico BOONE, decano in civitate Yprensi, dioecesis Brugensis.

5 Junii. — R.mo D. Jacobo canonico SYOEN, dioecesis Brugensis.

6 Junii. — R.mo D. Eduardo HUYS, decano in civitate Poperinghe, dioecesis Brugensis.

7 Junii. — R.mo D. Alphonso BOONE, praesidi collegii episcopalis in civitate Menin, dioecesis Brugensis. — Diplômes demandés par le P. Godts, recteur à Roulers.

6 Augusti. — Adm. Rev. Matri Reginae HURLER, superiorissae generali Sororum Charitatis (Barmherzige Schwestern) in archidioecesi et civitate Monacensi; attento singulari erga Congregationem nostram venerationis affectu.

7 Augusti. — Rev. Matri Mariae Edignae GREMSER, superiorissae Sororum Charitatis in archidioecesi et civitate Monacensi; idem.

8 Augusti. — D.nae Mariae viduae HARTWAGER, in Gars, archidioecesis Monacensis; idem.

23 (?) Augusti. — R. D. Joanni Adamo WITTMANN, parocho in Champrougier, dioecesis S. Claudii in Gallia.

23 Septembris. — D.no Joanni E. DOWNING, dioecesis et civitatis Alleghanensis, in Statibus Foederatis Americae. — Demandée par le P. [Joseph] Helmpraecht.

21 Octobris. — Adm. R. D. Henrico MOELLER, sacerdoti archidioecesis Mechliniensis, jam alumno Congregationis [58].

4 Novembris. — D.nae Laurae BOULET, dioecesis Sagiensis [Sées] in Gallia.

5 Novembris. — Adm. Rev. Matri Mariae MAGDALENAE, fundatrici ven. Congregationis Filiarum B. M. V. de Compassione, archidioecesis Neapolitanae, atque omnibus et singulis praelaudato Instituto adscriptis vel in posterum adscribendis sororibus [59].

13 Novembris. — Adm. R. D. Victori LANSSEN, sacerdoti dioecesis Brugensis in Belgio.

6 Decembris. — Adm. R. D. Antonio canonico FERRIGHI, ar-

---

[58] Henricus Moeller, n. 12 VII 1852 Leuven (Belgium), prof. 2 II 1873, a votis dispensatus erat die 2 V 1875. An. 1877 semel atque iterum readmissionem petivit, quae ei negata est, quia esset contraria praxi s. Alfonsi (quod perperam tamen opinabatur p. Mauron; cfr. *Spic. hist.* 25 [1977] 319-320). Cf. AGR, Prov. Belgica XV 4 (epistulae aliaque documenta dispensatorum; s. v. Moeller); AGR, Catalogi ms. XII, p. 79; XIV 1, n. 58.

[59] Vide epistulas, quas superior Provinciae Neapolitanae, p. Vincentius Mautone, autunno 1877 superiori generali dedit. AGR, Prov. Neapolitana I 3.

chipresbytero loci vulgo Badia (Polesine), dioecesis Adriensis; bienfaiteur de Bussolengo.

7 Decembris. — Adm. R. D. Andreae DARIZ, jam alumno Congregationis, rectori seminarii Aliphani. — Demandée par lui-même [60].

## 1878

3 Januarii. — D.no Gustavo IMHAUS ejusque conjugi Elvinae, civitatis Aquisgrani in archidioecesi Coloniensi.

22 Januarii. — D.no Georgio S. LANE FOX ejusque liberis, dioecesis Beverlacensis in Anglia.

16 Martii. — D.nae Joannae DRUMMOND, viduae Henrici STANLEY, Ecossaise, résidant à Roulers; bienfaitrice.

12 Aprilis. — Adm. RR. DD. Ludovico canonico RAFFAELLI, Xaverio comiti BENTIVOGLIO et Aloysio DELLA VALLE, archidioecesis et civitatis Mutinensis, necnon omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus Piae Sodalitati sub titulo Apostolatus Suffragii in sanctas animas Purgatorii, in ecclesia ss. Salvatoris Mutinae erectae, adscriptis aut in posterum adscribendis [61].

21 Maji. — D.no Romualdo PELOSI, benefactori collegii in S. Angelo a Cupolo.

7 Junii. — Adm. R. D. Paschali GRAVINA, parocho archidioecesis Capuanae, compagno di mons. Ramaschiello, vescovo di S. Agata.

8 Junii. — Illustri ac nobili viro D.no Dominico PETRUCULLI, baroni de Basilice, et consanguineis et affinibus usque ad secundum gradum inclusive. — Domandato dal Provinciale di Napoli.

3 Novembris. — Plur. R. D. Aemilio canonico MINNE, dioecesis Brugensis in Belgio.

29 Novembris. — D.no Justino VERHILLE, archidioecesis Mechliniensis in Belgio, ex-novice à Rome et en France [62].

---

[60] Andreas Dariz, n. 8 X 1832 Livinalongo (Tirolis), prof. 16 I 1856, sac. 18 VI 1858, die 28 VII 1877 dispensationem a votis petivit, quae ei post duos dies (30) concessa est. Mox readmissionem petivit, sed frustra. Congregationem semper addictissimus remansit. Cf. AGR, Prov. Romana XVIII 8; AGR, Catalogi ms. VII, pp. 13 et 128; XII, p. 80; XIII, n. 799.

[61] Diploma aggregationis transcribetur infra, Doc. V 2.

[62] Epistula Justini Verhille diei 25 nov. 1878, qua aggregationem petivit, et alia diei 3 dec., qua gratias egit, conservantur in AGR, Prov. Romana VIII 1. Ibi alia documenta non pauca circa Justini noviciatum (Romae 1856) et vitam.

## 1879

25 Januarii. — Plur. R. P. FRANCISCO Xaverio, ministro provinciali Ord. S. Francisci Cap. in Bavaria, omnibusque et singulis Provinciae patribus et fratribus, praesentibus et futuris; attento singulari erga nostram Congregationem benevolentiae et charitatis affectu.

6 Julii. — Adm. R. D. Francisco Sal. DOPPELBAUER, sacerdoti dioecesis Linciensis in Austria [63]. — Demande faite par le recteur de Puchheim.

13 Julii. — R. D. Josepho MONTUORI, sacerdoti archidioecesis Tranensis.

- - R. D. Michaeli DE ROSA, idem.

16 Augusti. — Adm. R. D. Belisario PUCCI, canonico Ecclesiae Catacensis (Catanzaro). — Demandée par le P. Gonsalvo Gualtieri.

23 Octobris. — D.no LEFOYER, bibliopolae in civitate Argentomo dioecesis Sagiensis in Gallia, cum filiis Stephano et Alberto ac filiabus Mariae, Augustinae et Clarae.

24 Octobris. — D.nae viduae SEVRAY, natae Camillae Estellae GRACHARD, dioecesis Sagiensis in Gallia.

1 Novembris. — D.no Alexio SARACHAGA, Espagnol, divoto della Madonna.

20 Decembris. — Adm. R. D. Raphaeli SILIPO, parocho ecclesiae S. Rochi in civitate et dioecesi Catacensi (Catanzaro).

## 1880

6 Januarii. — D.no Thomae TUZI, dioecesis et civitatis Soranae, ejusque consanguineis et affinibus ad secundum usque gradum inclusive; benefactori collegii de Scifelli.

1 Martii. — R.mo D. Joanni Carolo comiti DEL CAMPO SCIPIO, canonico ecclesiae cathedralis Cracoviensis. — Petente P. [Roberto] Coffin.

2 Martii. — R. D. Edmondo DELERUE, ex-Congregato, sacerdoti dioecesis Neoportensis et Menevensis in Anglia [64]. — Idem.

---

63 Franciscus M. Doppelbauer (1845-1908) postea episcopus de Linz nominatus est die 17 dec. 1888.

64 Edmundus Delerue, n. 7 X 1832 Bailleul (Francogallia), prof. 15 X 1852, sac. 26 XII 1857, a votis dispensatus erat die 25 II 1865. AGR, Catalogi ms. XII, p. 72;

3 Martii. — R. D. Josepho NERI, sacerdoti dioecesis Tusculanae, ex-Congregato [65].

26 Martii. — D.no Alphonso RUSSEL HOWELL, dioecesis Plymuthensis in Anglia, ejusque conjugi Juliae et consanguineis et affinibus usque ad secundum gradum inclusive. — Petente P. [Roberto] Coffin.

27 Martii. — D.no Joanni Georgio KENYON, archidioecesis Westmonasteriensis in Anglia, ejusque conjugi Mariae etc. — Ut supra. — Nouveau diplôme; le premier étant brûlé [vide sub die 16 maii 1871].

9 Aprilis. — Adm. R. D. Joanni doctori et professori NINZATTI, auctori compendii theologiae moralis, dioecesis Venetiarum; attento singulari tuo erga S. P. N. Alphonsum venerationis et devotionis affectu, necnon eximio tuo zelo et studio in tradenda et promovenda ejusdem S. Doctoris saluberrima doctrina morali [66].

3 Junii. — Rev. sorori Mariae Alphonsae de LIGORIO, Ordinis Visitationis S. Mariae, in archidioecesi Panormitana (figlia del duca di Calvello, Ettore Liguori).

4 Junii. — Rev. sorori Mariae Alphonsae de LIGORIO, Ord. Carm. Excalc., in archidioecesi Panormitana (sorella della precedente) [67].

16 Julii. — Adm. R. D. Aloysio PATRIZI, canonico Collegiatae S. Mariae in dioecesi et civitate Ferentina, cum sorore; benefactori collegii de Scifelli.

9 Novembris. Em.mo et R.mo D.no Friderico Ludovico, cardinali diacono S. Angeli in Piscinula, de FALLOUX du COUDRAY. — Formula specialis [68].

21 Novembris. — D.nae Antoniae POLSINELLI, civitatis Arpini in dioecesi Sorana, ejusque matri; benefactrici collegii de Scifelli.

22 Novembris. — Adm. R. D. Francisco canonico ADDRIZZA,

---

XIII, n. 660. — An. 1851 modus agendi studentis Delerue ansam praebuit controversiae cuiusdam inter episcopum de Birmingham, Gulielmum Ullathorne, et p. Fridericum von Held, tunc superiorem Redemptoristarum in Anglia, qua etiam p. Wladimirus Pecherin implicatus erat. Cf. *Spic. hist.* 22 (1974) 48-51.

[65] Iosephus Neri, n. 1 III 1839 Rocca di Papa (prope Romam), prof. 21 XI 1860, sac. 11 III 1865, a votis dispensatus erat die 12 X 1866. Cf. AGR, Prov. Romana XVIII 15; AGR, Catologi ms. XII, p. 74; XIII, n. 1036.

[66] *Theologia moralis universa S. Eccl. Doct. Alphonsi M. de Ligorio...*, cura et studio Joannis NINZATTI, Patavii 1879, 2 vol. Posteriores editiones: Venetiis $^{2}$1882 et $^{3}$1885; Taurini $^{4}$1887, $^{5}$1891, $^{6}$1892.

[67] Nescimus gradum propinquitatis harum sororum cum s. Alfonso.

[68] Primus passus diplomatis aggregationis transcriptus habetur in AGR, *Liber Formularum*, pars. I, n. 47. Reliqua, « mutatis tantum honoris titulis », ut in diplomate die 23 oct. 1873 episcopo von Senestrey dato; infra Doc. IV 2.

in civitate Arpino dioecesis Soranae, ejusque sorori Aloysiae; benefactori collegii de Scifelli.

23 Novembris. — R.mo D. Josepho abbati CIANCHETTI, dioecesis Verulanae, ejusque fratribus sacerdotibus Francisco et Alexandro, necnon fratri Bernardino et sororibus, tum sanctimonialibus tum domi degentibus; benefactoribus collegii de Scifelli [69].

1 Decembris. — R. D. Francisco HEITZER, sacerdoti archidioecesis Salisburgensis; attenta tua in S. Alphonsum et Congregationem devotione.

16 Decembris. — D.no Francisco Xav. MUELLER, ejusque consanguineis et affinibus ad secundum usque gradum.

## 1881

12 Januarii. — R. D. Joanni Bapt. VAN DAMME, parocho in Clemskerke, dioecesis Leodiensis, et Mariae Josephae LOONTJENS ac Elisae Mariae VAN DAMME; benefactoribus collegii de Tournai.

29 Januarii. — D.no Augusto MESSLER, magistro in schola Ilchestrensi in America zelantissimo; attenta devotione erga S. Alphonsum et devotione qua erga Congregationem affectum se demonstrat a decem annis.

14 Februarii. — R. D. Thomae MARGHERITA, sacerdoti in Francavilla dioecesis Uritanae; attenta insigni devotione erga S. Alphonsum et Congregationem [70].

- - R. D. Josepho FORMOSI, canonico et vicario foraneo, ibid.; ob easdem rationes.

- - D.no Petro MISA, advocato, ibid.; ob easdem rationes.

- - D.nae Mariae FONTANA SCAZZARI, ibid.; ob easdem rationes. — Quattuor superiores aggregationes petitae sunt per R. P. Mottola.

15 Martii. — R. D. Nicodemo MASCIA, archipresbytero in oppido Colle Sannita, archidioecesis Beneventanae, ejusdemque familiae usque ad secundum gradum inclusive; benefattore di S. Angelo a Cupolo.

- - D.no Henrico D'EMILIA, medico, ibid.; idem.

---

[69] Die 7 dec. 1880 Cianchetti gratias egit pro affiliatione et die 20 seq. iterum scripsit. Epistulae conservantur in AGR XLIII 40.

[70] Conservatur in AGR XLIII 40 epistula sac. Thomae Margarita, data in Francavilla Fontana die 4 apr. 1881, qua gratias agit pro aggregatione in oblatum Congregationis.

12 Aprilis. — Ill.mo ac R.mo D. Nicolao DE MARTINO, episcopo Samensi i.p.i.; attenta singulari erga S. Alphonsum veneratione et peculiari erga Congregationem devotione et benevolentia. — Ad instantiam R. P. Raphaelis Fusco, Lettere.

27 Aprilis. — Adm. R. D. KIRSCHBAUM, parocho in Pützchen, archidioecesis Coloniensis.

9 Maji. — D.no G. DELATTRE, Bononiae, dioecesis Atrebatensis; attento tuo invicto animo in propugnandis Ecclesiae juribus, necnon insigni tua devotione erga S. Alphonsum et Congregationem. (Rédacteur de l'excellent journal *La Colonne*).

- - D.nae Mathildi ARTUS de VALOIS, ibid.

5 Julii. — Ill.mo ac R.mo D. Aloysio SANGUINETI, praelato domestico Suae Sanct., canonico metropolitanae Ecclesiae Januensis [71].

17 Julii. — Ill.mo ac R.mo D. Aloysio PALLOTTI, praelato domestico Suae Sanct., substituto Secretariae Status [72].

17 Decembris. — R.mo D. Carmelo canonico ADINOLFI, in civitate et dioecesi Abellinensi. (Fondò quella nostra casa di Avellino) [73].

## 1882

1 Januarii. — D.no Gustavo de LEDINGHEN-GRANDSIRE, ejusque conjugi, Boulogne dioecesis Atrebatensis in Gallia; benefactoribus collegii de Boulogne.

28 Aprilis. — D.no Arthuro LANGDALE, fratri confratris defuncti, ejusque conjugi et filiis, dioecesis Medioburgensis (Middlesborough) in Anglia.

Mense Majo. — D.no Francisco FEDE (medico primario di Napoli, il quale diede le sue cure al Reverendissimo) ejusque conjugi et filiis, necnon consanguineis et affinibus usque ad tertium gradum inclusive.

9 Junii. — Em.mo ac R.mo D. cardinali Bartholomaeo D'AVANZO, episcopo Calvensi et Theanensi; ob sua merita in Congregationem, cui collegium S. Reparatae in civitate Theanensi dono dedit [74].

11 Julii. — R. D. Friderico ROTHENBUCHER, parocho in Hausen, dioecesis Herbipolensis; benefactori Nostrorum in Bavaria.

---

71 Probabiliter est eadem persona, cui iam die 21 ian. 1866 aggregatio concessa erat.

72 Aloisius Pallotti (1829-1890) postea cardinalis creatus est die 23 maii 1887.

73 Domus CSSR in Avellino incepit die 12 sept. 1881.

74 Domus CSSR in Teano incepit an. 1880.

28 Octobris. — Ill.mo ac R.mo D. Hieronymo VOLPE, episcopo Aliphano; attento eius peculiari in S. Alphonsum devotionis affectu [75]. — Ad instantiam R. D. Andreae Dariz.

7 Novembris. — Adm. R. D. Joanni FISCHETTI, ex civitate Altavilla Irpina, archidioecesis Beneventanae, ejusque propinquis usque ad secundum gradum; benefactoribus domus nostrae S. Angeli a Cupolo.

11 Decembris. — Exc.mo D.no Octavio MESSANELLI, duci de Castronuovo, ejusque conjugi. — Ad instantiam R. D. Andreae Dariz.

- - Exc.mo D.no Antonio CASTRIOTA SCANDERBECK, marchioni de Auletta, ejusque consanguineis et affinibus ad secundum usque gradum. — Ut supra.

15 Decembris. — D.nae Angelae viduae PISANI, natae ANNIBALDI, Romanae.

20 Decembris. — R. D. Gerardo MOSCA, sacerdoti ex civitate Angri, dioecesis Nucerinae Paganorum; ob devotionem erga Congregationem.

- - D.nis Josepho et Vincentio D'AMICO, dioecesis Cavensis, eorumque propinquis usque ad secundum gradum; ob idem motivum. — Duae praecedentes aggregationes petitae sunt a Patribus nostris in civitate Angri commorantibus.

## 1883

12 Aprilis. — D.no Josepho DE VENNERO ejusque conjugi Cajetanae MENNITI, dioecesis et civitatis Catacensis.

27 Maji. — Ill.mo ac R.mo D. Albino equiti a DUNAJEWSKI, episcopo Cracoviensi in Polonia; qui multum contulit ad novam proximam fundationem in civitate Mosciska [76].

29 Maji. — R. D. Antonio DI GIOVANNI, a Marsala in Sicilia. — Ad instantiam P. Provincialis [Antonini] Impiduglia.

8 Junii. — R. D. Henrico MORGAN, sacerdoti anglo, a votis dispensato die 7 Junii 1883 [77].

---

75 Die 3 nov. 1882 episcopus gratias egit pro affiliatione. Epistula conservatur in AGR XLIII 40.

76 Domus CSSR in Mosciska (Galicia) incepit an. 1883.

77 Henricus Morgan, n. 18 VII 1839 Slindon (Anglia), prof. 15 X 1860, sac. 23 X 1865, a votis dispensatus erat die 7 VI 1883. Postea readmissionem petivit, sed frustra. Cf. AGR, Prov. Anglica XI 1 (epistulae aliaque documenta dispensatorum, s. v. Morgan); AGR, Catalogi ms. XII, p. 83; XIII, n. 1030.

27 Julii. — Adm. R. D. Paschali CLEMENTE, parocho in Cervinara, archidioecesis Beneventanae. — Ad instantiam P. Vincentii Mautone.

8 Novembris. — Adm. R. D. Raphaeli BUONANNO, Congr. Oratorii S. Philippi in archidioecesi et civitate Neapolitana[78]. — Ad instantiam P. Raphaelis Fusco, superioris domus nostrae in Lettere, erga quam domum P. Buonanni beneficum se praestitit.

29 Novembris. — Ill.mo et R.mo D. Vincentio M. SARNELLI, episcopo Castrimaris Stabiarum[79].

14 Decembris. — D.nae Adelaidi PROTANI, in civitate Monte S. Giovanni; benefactricis domus Scifellensis. — Ad instantiam P. [Joachimi] Pasquali.

## 1884

25 Julii. — D.no Ferdinando SCHIPANI, notario, archidioecesis Beneventanae; hospitantur Nostri apud eum tempore exercitiorum. — Ad instantiam P. Francisci de Pascale, S. Angelo a Cupolo.

4 Novembris. — D.nae Gabrielae SARMIENTO, in Buga, dioecesis Popayanensis in Columbia; ob praeclara merita in fundatione illa Bugana[80].

- - D.nae Mariae Eleonorae STAFFORD DE PORTEBELLO, dioecesis Elphinensis in Hibernia; ejus filia ingressa est monasterium Dublinense Monialium SS. Redemptoris.

20 Decembris. — Adm. R. D. Richardo Emo de TORTOSA, in Ciempozuelos, archidioecesis Toletanae in Hispania, capellano Oblatarum SS. Red. — Ad instantiam Rev. Matris Antoniae de Oviedo[81].

- - R. D. Raphaeli FABBI, in Montecchio, dioecesis Regiensis in Aemilia.

- - Renovatum est diploma olim jam concessum[82] Ill.mo et R.mo D. Nicolao ADAMES, prius episcopo Luxemburgensi, nunc archiepiscopo Tyrensi.

---

78 Die 9 nov. 1883 p. Buonanno gratias egit pro affiliatione, memorans directionem spiritualem s. Alfonso datam ab Oratorianis. Epistula conservatur in AGR XLIII 40.

79 Fasciculus epistularum episcopi de Castellammare di Stabia conservatur in AGR XLIII 2, 36.

80 Domus CSSR in Buga (Colombia) incepit die 20 aug. 1884.

81 Die 9 iulii 1867 ipsa fundatrix sodalesque instituti Congregationi aggregatae erant.

82 Die 14 sept. 1863, vide supra.

## 1885

31 Januarii. — R. D. Joanni Bapt. SCHAUMBERGER, olim novitio et ob oculorum debilitatem invite dimisso, in Bavaria. — Ad preces P. Provincialis [Francisci] Vogl.

2 Martii. — Ill.mo et R.mo D. Josepho M. SERRA, episcopo Dauliensi, Ciempozuelos prope Matritum; bene affecto erga Congregationem[83]. — Ad instantiam Rev. Matris Antoniae de Oviedo.

- - R. D. Antonio Pat. MUELLER, dioecesis Argentoratensis; Missarum stipendia mittit.

- - D.nae Mariae DAMAS, viduae BARAJAS, archidioecesis Granatensis, ejusque quinque filiis; benefactoribus domus nostrae Granatensis.

10 Martii. — D.no Nicolao FASOLI ejusque familiae, Andriae; ob benevolam receptionem Nostrorum in missione Andriensi.

29 Aprilis. — Adm. R. D. Thomae DI MARINO, Cava de' Tirreni, ejusque fratri Alphonso et familiae usque ad tertium gradum. — Instante P. Francisco de Blasiis, qui apud eos hospitabatur.

16 Maji. — D.nae Leontinae TROUSSARD, dioecesis Valentinensis in Gallia, ejusque propinquis ad secundum usque gradum; ob beneficia in juvenatum Provinciae Gallicae. — Instante P. Victorino Hauger.

2 Junii. — D.no Matthaeo HEARN, advocato, civitatis et archidioecesis Quebecensis in Canada. — Instante P. Provinciali [Friderico] Schauer.

25 Julii. — Ill.mo ac R.mo D. Georgio RIGG, episcopo Dunkeldensi in Scotia. — Petente P. Provinciali [Hugone] Macdonald.

- - R.mo D. Gulielmo TYLEE, SS.mo D.no N.ro a cubiculis intimis. — Ut supra.

30 Julii. — D.no Caspari ALONSO, Mirandae, archidioecesis Burgensis in Hispania; eximio benefactori domus in Espino. — Instante P. [Josepho] Chavatte, superiore in Espino.

25 Augusti. — Adm. R. D. Jacobo Francisco Xav. CORBETT, parocho in archidioecesi Melburnensi in Australia. — Instante P. [Edmundo] Vaughan.

17 Octobris. — D.nae viduae SHEEHY, dioecesis Limericiensis in Hibernia. — Ad instantiam superiorissae Monialium SS. Red., Dublini.

---

[83] Iosephus Serra (1810-1886) cum ven. Antonia de Oviedo y Schönthal fundavit institutum (1864, 1870) in loco Ciempozuelos (Hispania). Editioni propositae epistularum a p. Mauron et ven. Antonia mutue datarum adiungemus etiam litteras Mauron-Serra. Vide supra, n. 33.

18 Octobris. — D.nae (Miss) Catharinae AINSWORTH, dioecesis Salopiensis (Shrewsbury) in Anglia. — Ut supra.

31 Octobris. — R.mo D. canonico Mazariensis dioecesis [*spatium album pro nomine*] ejusque sorori. — A richiesta del P. [Antonino] Impiduglia.

## 1886

18 Februarii. — D.no Michaeli CRISCUOLO, syndaco civitatis Paganorum; ob benevolentiam in Congregationem. — Instante P. [Petro] Andreoli.

- - D.no Joanni PERNA, oriundo ex Striano, dioecesis Sarnensis; ob multam benevolentiam exhibitam Nostris Neapoli. — Ut supra.

- - R.mo D. [*spatium album pro nomine*] GAGLIARDI, archipresbytero in civitate Canosa di Puglia; humanissime ibi excepit nostros missionarios. — Instante P. [Vincentio] Ortega.

19 Martii. — Aggregata est Congregationi et particeps facta bonorum operum Pia Associatio B. M. V. Immaculatae conversioni mulierum paganarum allaborans (Oeuvre de Marie Immaculée pour la conversion des femmes païennes). Diploma transmissum est à Mlle. A. Cardou, 27, Rue de Sèvres, Paris. Praecipuum motivum id fuit, quod mulieres illae paganae maxime derelictae sunt, cujus generis animae nobis praesertim commissae sunt [84].

2 Augusti. — Sororibus Margaritae et Annae TOMASELLI, in Arpino dioecesis Soranae; ob earum devotionem in S. Alphonsum et Congregationem. Ad instantiam P. [Joachimi] Pasquali, rectoris Scifellensis.

3 Novembris. — Adm. R. D. Francisco Xav. KURZMILLER, parocho-decano in Gars, archidioecesis Monacensis in Bavaria; ob suam benevolentiam erga nos. — Instante P. Provinciali Francisco Vogl.

12 Decembris. — Adm. R. D. Joanni Bapt. FLOECK, parocho-decano in S. Johann im Pungau, archidioecesis Salisburgensis in Austria; ob suam devotionem in Congregationem. — Ad instantiam P. Casparis Stamm, superioris domus in Dürrnberg.

---

84 Epistula diei 19 martii 1886, quacum p. Mauron diploma aggregationis transmisit, conservatur in AGR, XLIII 17 h. Ibi etiam quaedam documenta circa associationem.

## 1887

5 Aprilis. — Adm. Rev. Matri Mariae Reginae Hurler, superiorissae generali Sororum Charitatis (Barmherzige Schwestern), pro se et suis consororibus in Regno Bavariae; ob sua merita erga Provinciam nostram Germaniae Superioris [85]. — Ad preces P. Provincialis Francisci Vogl.

21 Aprilis. — D.nae Juliae, viduae Catena, in Rionero al Vulture, dioecesis Melphiensis, una cum filio unigenito Paschali.

4 Junii. — D.no Carolo advocato Sagnori, Romae, una cum conjuge et filiis.

1 Julii. — D.no Josepho Mazzarone, in Fiumefreddo, dioecesis Tropiensis. — Instante P. Francisco Pisani. — Est duplicatum, nam prius diploma deperditum fuit [86].

1 Septembris. — R.mo D. canonico cantori Alphonso Proto, Amalphitano; ob suum zelum in promovenda S. Alphonsi gloria anno centenario beatae mortis S. Alphonsi.

28 Octobris. — D.no Francisco architecto Carnesecchi, Neapoli, [eiusque propinquis] usque ad secundum gradum; ob suam devotionem in Congregationem.

- - D.no Andreae equiti Nasti, Neapoli, [eiusque propinquis] usque ad secundum gradum; ut supra.

## 1888

2 Januarii. — D.no Baldenweck, Parisiis. — Petentibus patribus ex Alsatia.

2 Februarii. — Superiorissae Monialium Visitationis B. M. V. et communitati in oppido Ornans dioecesis Vesontionensis. — Petente P. [Constantio] Rose, superiore Provinciae Gallicae.

9 Martii. — R. D. Paulo Leick, in dioecesi Wratislaviensi, ex-Congregato [87]. — Attenta ipsius petitione; instante P. [Ambrosio] Zobel ex Luxemburgo.

9 Aprilis. — Ill.mo et R.mo D.no Martino Riha, episcopo Budwicensi in Bohemia; ob insignem in Congregationem benevolen-

---

85 Aggregatio iam prius concessa, die 6 aug. 1877.

86 Dies prioris diplomatis nos latet.

87 Paulus Leick, n. 17 II 1834 Strassen (Luxemburgum), prof. 15 X 1854, sac. 9 VIII 1863, a votis dispensatus erat die 1 XI 1887. Cf. AGR, Prov. Germaniae inferioris XII 1, 13; AGR, Catalogi ms XII, p. 85; XIII, n. 746.

tiam (confectis actis pro beatificatione introducenda Servi Dei Joannis Neumann CSSR)[88].

12 Maji. — D.nabus Margaritae et Mariae Annae KELLY, dioecesis Limericiensis. — Rogante Provinciali Angliae.

18 Maji. — Adm. R. D. Andreae SAUER, sacerdoti archidioecesis Neo-Eboracensis. — Instante P. [Friderico] Schauer, Provinciali.

- - D.no Petro ROTH, dioecesis Pittsburgensis. — Ut supra.

2 Augusti. — D.no Donaldo GORDON STUART, civitatis et dioecesis Liverpolitanae; benefactori domorum in Perth et in Bishop Eton. — Instante P. [Joanne] Bennett.

27 Septembris. — Domicellae Mathildi CHAIX, Montbrison, dioecesis Valentinensis in Gallia; ob beneficia in juvenatum collata. — Instantibus patribus domus Valentinensis.

- - D.nae comitissae Mechtildi BOTTAGISIO-GUARIENTI et eius filio comiti Antonio GUARIENTI, dioecesis et civitatis Veronensis; benefactoribus domus Buxilongensis. — Instante P. [Ernesto] Bresciani[89].

15 Decembris. — D.no Jacobo KOLB, dioecesis Roffensis in America. — Instante P. [Josepho] Wirth, cujus domui in Rochester dictus D.nus Jacobus devote inservit.

25 Decembris. — R. D. Caecilio GAMO, confessario Oblatarum S. Alphonsi, in Ciempozuelos, Hispania. — Instante Rev. Matre Antonia de Misericordia, superiorissa.

- - R. D. Emmanueli LLORENTE, ibidem capellano. — Instante eadem religiosa[90].

---

[88] Episcopus Riha processum ordinarium in causa Neumann instruxit ann. 1886-1888. Vide *Spic. hist.* 24 (1976) 240 et 487-488.

[89] Epistula diei 15 sept. 1888, qua p. Bresciani aggregationem petivit (originale), et illa diei 3 oct.,qua p. Ulrich diploma transmisit (minuta), conservantur in AGR, Prov. Romana XI 11. Bresciani sequenti modo firmavit petitionem: « Questi due ottimi Signori sono grandemente benemeriti di questa comunità [di Bussolengo], perché la loro casa in Verona può dirsi casa nostra, dove andiamo con tutta libertà, e vi siamo sempre trattati con generosa carità. Di più, ambedue si prestano e sonosi prestati da molti anni in tutti i nostri bisogni ».

[90] Die 9 iulii 1867 ipsa fundatrix sodalesque instituti Congregationi aggregatae erant. Instante ven. Antonia, fundatrice, die 2 martii 1885 aggregationem obtinuit episcopus Serra, confundator, et diebus 20 dec. 1884 et 25 dec. 1888 duo instituti capellani aggregati sunt, quo ultimo die etiam confessarius.

## 1889

4 Maji. — R. D. Pasquali M. BISCHETTI, Castellammare di Stabia; desidera farsi Redentorista, cessati gli ostacoli [91].

5 Maji. — D.nae Virginiae comitissae TROILI, viduae TOGNOLI, Romanae; benefactrici domus Monteronensis.

6 Maji. — Particeps fit bonorum operum Congregationis Pia Sodalitas adolescentium sub titulo « B. Mariae Virginis et S. Aloysii Gonzaga », canonice erecta in ecclesia nostra Trudonopoli [St-Trond] in Belgio. Cum juvenibus participes fiunt socii honorarii et protectores Sodalitatis.

23 Septembris. — Adm. R. D. Emmanueli GONZALEZ PEÑA, rectori seminarii Burgensis in Hispania; ob benevolentiam et hospitalitatem erga Patres nostros. — Instante P. Petro Lopez.

23 Decembris. — D.nae MAURY cum sua sorore; benefactricibus domus in Dunkerque. — Instante P. [Julio] Sandrard.

- - R. D. CHOQUET cum sua matre; idem. — Ut supra.

- - D.nae CAFFIERI; idem. — Ut supra.

- - D.nae MOREIL-ELOY; idem. — Ut supra. Toutes ces personnes sont du diocèse de Cambrai.

## 1890

5 Februarii. — D.nae Conceptae ARANZABE, comitissae viduae de EGAÑA; insigni benefactrici domus Matritensis. — Instante P. Augusto Desnoulet, Visitatore Hispaniae.

- - D.nae Pilar LABAYEN Y ARANZABE; idem. — Ut supra.

- - D.nae Conceptae LABAYEN Y ARANZABE; idem. — Ut supra.

- - D.no Antonio TERRY ejusque conjugi D.nae Margaritae ZULMA, cum eorum filiis Josepho, Aloysio, Eloisa, Margarita et Amalia; idem. — Ut supra. Sunt omnes dioecesis Matritensis.

15 Martii. — D.nae Gertrudi KREUZBURG ejusque filiabus Caesariae, Gertrudi et Angelae, in civitate Pau, dioecesis Baionensis. — Instante P. Consultore generali Matthia Raus.

10 Aprilis. — D.nae baronissae Mariae Adelaidi Margaritae de BEAUNAY de DENESVRE, viduae de DOMECY, archidioecesis Rothomagensis in Gallia. — Instante P. Augusto Mueller, Châteauroux.

---

91 Nomen huius sacerdotis in catalogis CSSR non invenimus.

30 Maji. — D.no Augusto SENATRA, Romano, ejusque filiis; ob peculiaria servitia praestita [92].

23 Septembris. — D.no Francisco DE FALCO ejusque familiae, archidioecesis Salernitanae; ob praestitam opem in redimendo collegio Juranorum (Ciorani). — Instante P. Aemilio Jacovetti, superiore Provinciae Neapolitanae.

5 Octobris. — D.no Patritio MAC SWEENE, dioecesis Limericiensis, ejusque familiae. — Instante P. Hugone Macdonald, superiore Provinciae Anglicae.

27 Octobris. — D.nae (Mlle.) Theresiae PETIT, archidioecesis Cameracensis; ob sua beneficia in domum nostram Insularum (Lille). — Petente P. [Alexandro] Sdilon, rectore domus praedictae.

## 1891

1 Januarii. — R. D. Eugenio TORCHE, directori orphanotrophii Marini in Montet, dioecesis Lausannensis in Helvetia, et suis alumnis praesentibus et futuris.

- - R. D. Joanni Bapt. HUMBRECHT, vicario in Molsheim, dioecesis Argentoratensis in Alsatia, cum suis conjunctis ad secundum usque gradum.

2 Februarii. — Plur. R. D. Ernesto CANTALUPO, archidioecesis Neapolitanae, rectori nominetenus ecclesiae S. Antonii a Tarsia.

16 Februarii. — D.nae Carmelae QUIROGA de URMENETA, archidioecesis S. Jacobi in Chile; inclytae benefactrici juvenatus Hispaniensis. — Instante P. Augusto Desnoulet, Visitatore.

- - D.nae Heliodorae GOYCOLEA, idem. — Ut supra.

19 Februarii. — D.no Joanni Mc CORMICK, dioecesis Bostoniensis, ejusque propinquis usque ad tertium gradum. — Instante P. Ferdinando Litz, superiore Provinciae Baltimorensis.

13 Martii. — Don Alfonso CICCODICOLA, di Arpino, dioecesi di Sora, insieme colla moglie; nipote di benefattori e benefattore egli stesso di Scifelli. — A preghiera del P. Rettore [Gioacchino] Pasquali.

---

92 Curator operum qui magnam partem habuit in construendis domibus sedi generali CSSR contiguis (Via dello Statuto et Pellegrino Rossi) necnon in aliis aedificiis a CSSR hoc tempore erectis (Romae et Cortonae). - Abhinc viginti annos Senatra matrimonium in ecclesia SS. Redemptoris contraxerat. « 1871, Gennaio 23. Il nostro Padre R.mo [Nic. Mauron] unisce in matrimonio nella nostra chiesa, previo un bel discorsetto, i giovani sposi Signor Augusto Senatra e Signorina Maria Capocetti ». *Cronica della Casa Generalizia del SS.mo Redentore* I 114.

17 Aprilis. — Mlles. Serena et Adelaïde VAN ZANDT, de Boulogne; bienfaitrices de cette maison. — Instante P. [Josepho] Chierici.

- - Mme. JORDAN de SURY, diocèse de Strasbourg; bienfaitrice d'Uvrier.

- - Mlle. Marie DUQUAIROUX, de Paris, avec père et mère; bienfaitrice d'Uvrier.

- - Rév. Mère St Louis, chanoinesse du bienh. Pierre Fourrier, de Paris; bienfaitrice d'Uvrier.

10 Augusti. — Adm. R. D. Julio GASSER, sacerdoti dioecesis Argentinensis; ob sua merita in juvenistis reperiendis. — Instante P. Victorino Hauger.

- - D.nae Adeli GUTSEIT, ex Molsheim, dioecesis Argentinensis; quae summam dedit pro victu juvenistarum. — Eodem P. Hauger instante.

9 Octobris. — A Mons. Pietro MAGLIONE, vescovo di Capaccio e Vallo [93].

- - A Mons. Giuseppe CAMASSA, vescovo di Melfi e Rapolla [94].

- - A Mons. Luigi DEL FORNO, vescovo di Nocera de' Pagani [95].
— Ad preces instantes trium antistitum.

12 Decembris. — R.mo D. professori theologiae moralis Nicolao ARANEO, civitatis et dioecesis Sulmonensis; ob devotionem in S. Alphonsum [96].

## 1892

11 Februarii. — Adm. R. D. Joanni P. A. VAN MENS, dioecesis Bredanae, olim Nostro [97].

---

93 Die 13 sept. 1891 episc. Maglione aggregationem petivit et die 14 oct. seq. gratias egit. AGR XLIII 2, 60.

94 « 1891, Settembre 6. Giunge e prende alloggio in casa nostra il vescovo di Melfi e Rapolla, recando seco un indirizzo al R.mo Padre Gen.le di tutti i vescovi della povincia di Salerno, i quali, riunitisi intorno alla tomba di S. Alfonso per fare le solite conferenze, ringraziano sua Paternità R.ma della ospitalità avuta ». *Cronica della Casa Generalizia del SS.mo Redentore* I, 270. Epistulae episcopi Camassa ad pp. Mauron et Ulrich datae conservantur in AGR XLIII 2, 56.

95 « 1891, Settembre 27. Ospiziamo il vescovo di Nocera de' Pagani, Mons. Del Forno. [...] 1891, Ottobre 7. E' partito alle volte di Napoli il vescovo di Nocera de' Pagani, Mons. Del Forno ». *Cronica,* ut supra, I 271-272. Epistulae episcopi conservantur in AGR XLIII 2, 45.

96 Epistula diei 17 dec. 1891, qua theologus gratias egit pro aggregatione, conservatur in AGR XLIII, 40.

97 Ioannes Ev. van Mens, n. 14 VI 1832 Breda (Neerlandia), sac. 29 V 1858,

- - Domicellae [*spatium album pro nomine*] LECOUR, ex Lille, dioecesis Cameracensis; ob suas liberalitates in opus juvenistarum.

6 Maji. — Conjugibus LARDOT eorumque filiae Dionysiae, Parisiensibus; ob liberalitatem eorum erga juvenatum Provinciae Gallicae.

9 Julii. — D.no Georgio Gulielmo GRAY, archidioecesis Brisbanensis in Australia, ejusque conjugi et filiis; ob eorum merita erga domus nostras Australianas. — Rogante P. Edmundo Vaughan.

- - D.nae viduae QUINLAN, ejusque sorori, ibidem; ob easdem rationes. — Ut supra.

5 Augusti. — Domicellae Josephinae VAN DEN ZAVEL, Trudonopolitanae; ob servitia praestita nostrae communitati in illo oppido. — Rogante P. Rectore domus praedictae.

1 Octobris. — D.no Francisco ADINOLFI, Angriensi, advocato; ob merita erga domum nostram Angriensem. — Ad preces P. [Francisci] Alvino.

- - D.no Josepho ADINOLFI, Angriensi, notario; ob easdem rationes. — Ut supra.

1 Novembris. — Adm. R. D. Gerardo MOSCA, sacerdoti Angriensi, dioecesis Nucerinae Paganorum[98]. — Ut supra.

12 Decembris. — D.no Ferdinando COSTA, Pesina; ob servitia praestita domui Pesinensi. — Rogatu P. [Adami] Pfab.

- - R. D. Ludovico DE WINDE, olim ex Nostris, nepoti Patris nostri [Theophili] De Winde[99].

- - R.mo D. Joanni SCHNEIDER, canonico Vindobonensi. — Petitio facta a Nostris Vindobonae.

- - R.mo D. Aloisio FRENDHOFMEIER, Vindobonensi. — Ut supra.

- - R. D. Antonio SCHOEPHLEUTHNER, Vindobonensi. — Ut supra.

- - R. D. Augustino FISCHER-COLBRIE, Vindobonensi. — Ut supra.

---

prof. 2 II 1864, die 25 IX 1883 dispensationem a votis petivit quae ei die 15 X 1883 concessa est. Cf. AGR, Prov. Hollandica VIII K 6; AGR, Catalogi ms. XII, p. 83; XIII, n. 1176.

98 Aggregatio iam prius concessa, die 20 dec. 1882.

99 Ludovicus De Winde, n. 30 VIII 1866 Merchtem (Belgium), prof. 15 X 1883, die 25 XI 1890 dispensationem a votis petivit, que ei die 2 XII 1890 concessa est. Cf. AGR, Prov. Belgica XV 4 (epistulae aliaque documenta dispensatorum, s. v. De Winde); AGR, Catalogi ms. XII, p. 87; XV 1, n. 560.

## 1893

14 Januarii. — D.no Matthiae STROUSS; benefactori domus Buffalensis. — Rogante P. Rectore [Jacobo] Keitz.

- - D.no Georgio ZIMMERMANN; benefactori ejusdem domus. — Rogante eodem Rectore.

12 Martii. — D.no Augustino DOOPER, ejusque conjugi et filiae Annae (religiosae); ob eorum merita erga domum in North East. — Instante P. Provinciali [Ferdinando] Litz.

13 Decembris [100]. — A M. e Mme. (Marie) Théodore SAINTYVES, époux, à Argentan, diocèse de Sées. — Rogante P. [Alphonso] George.

- - A Mme veuve Josephine DUBOIS, ibid.

- - A Mme. veuve Thomassine PERDRIEL, ibid.

29 Decembris. — Superiorissae et monialibus, praesentibus et futuris, monasterii Visitationis B. M. V. in civitate et dioecesi Pictaviensi (Poitiers) in Gallia. — Ad preces P. [Augusti] Oudeville.

## 1894 [101]

[Initio Augusti] [102]. — Comm. Bartolo LONGO e consorte contessa DE FUSCO, in Valle di Pompei [103].

- - Sac. D. Vincenzo CARFORA, rettore della chiesa di Donnaregina in Napoli.

- - Suddiacono Giuseppe MASSA e la zia di lui Maria DE ROSA in Napoli.

- - Dott. Vincenzo VIVENZIO, medico, suo fratello Leonardo, avvocato, e tre sorelle Giovannina, Immacolata e Maria [104].

---

100 Uti notatur in *Libro Oblatorum*, p. 46, aggregationes diebus 13 et 29 dec. 1893 concessae sunt a p. Matthia Raus, qui ut vicarius generalis moderabatur Congregationem post mortem p. Mauron (13 VII 1893).

101 Aggregationes ann. 1894-1895 concessae sunt a p. Matthia Raus, superiore generali Congregationis electo die 1 martii 1894.

102 Primae quattuor aggregationes an. 1894 non in *Libro Oblatorum* notatae sunt. In loco tamen invenitur folium solutum, scriptum a p. Ernesto Bresciani: « Diploma di affiliazione per » et sequuntur nomina; quod folium non est aliud quam pars litterarum involucri ad p. Bresciani missarum sub signo cursuali: « Somma Vesuviana, 19 Lug. 94 ». Tempus vero aggregationis ab eo desumitur quod Bartholomaeus Longo epistula sua diei 1 aug. 1894 nil de affiliatione dicit, dum in illa diei 7 aug. gratias pro ea egit; vide articulum sequentem, Docc. 1 et 2.

103 Quinque epistulae ven. Servi Dei Bartholomaei Longo ad p. Raus datae edentur in articulo sequenti.

104 Die 10 aug. 1894 medicus gratias egit pro affiliatione. Epistula conservatur in AGR LIII 11.

2 Augusti. — Mme. Mathilde de RONSARD de LA SALLE et sa famille; ob egregiam benevolentiam in Congregationem. — Rogante P. Victorino Hauger.

- - Mlle. Camille GIRARDIN et sa soeur. — Rogante eodem Patre.

4 Octobris — R. D. Aloysio REMONDINI, e civitate Finale, archidioecesis Mutinensis.

15 Decembris. — Sac. Paulino FERNANDEZ-ESPINOSA; in domum nostram in Nava del Rey (Hispania) liberali [105].

## 1895

1 Februarii. — D.nae [*spatium album pro nomine*] BARRY ejusque duobus filiis, Limerici.

4 Februarii. — Rev. sorori Mariae Augustae JAEGER, dioecesis Argentoratensis, Soeurs de Niederbronn.

---

105 Certe non omnes aggregationes an. 1894 notatae sunt. Conservatur epistula sac. Stephani Apicella, ex Cava dei Tirreni die 2 oct. 1894 data, qua gratias egit pro diplomate affiliationis « ricevuto per mezzo del P. Di Coste »; AGR LIII 11.

# Index alphabeticus oblatorum qui in *Libro Oblatorum, 1855-1893* (Doc. III) inveniuntur

Ad diem aggregationis remittitur
qui sequenti modo indicatur: annus, dies, mensis


ADAMES Nicolaus - 1863, 14 IX.; 1884, 20 XII.
ADDRIZZA Aloisia et Franciscus - 1880, 22 XI.
ADINOLFI Carmelus - 1881, 17 XII.
ADINOLFI Franciscus et Iosephus - 1892, 1 X.
AGNINI Caesar - 1863, 19 III.
AINSWORTH Catharina - 1885, 18 X.
ALOISIUS a Pedelama - 1869, 8 IV.
ALONSO Caspar - 1885, 30 VII.
ALSINA Iacobus - 1866, 11 IV.
AMADEI Antonius - 1866, 6 VI.
AMBROSI Alexander - 1868, 28 X.
ANDREUCCI Iacobus et Catharina - 1862, 14 VI.
ANNIBALDI Angela - 1882, 15 XII.
ARANEO Nicolaus - 1891, 12 XII.
ARANZABE Concepta - 1890, 5 II.
ARTIGUES Gabriel - 1875, 1 V.
ARTUS de VALOIS Mathildis - 1881, 9 V.
ASCANI Aloisius, Constantia, Hycintha, Ioannes et Maria - 1871, 2 II.
AURIEMMA Clara - 1863, 1 I.

BACCILIERI Ferdinandus - 1863, 19 III.
BALDENWECK (d.nus) - 1888, 2 I.
BARAJAS Maria - 1885, 2 III.
BARBAROSSA Fridericus et Leopoldus - 1869, 25 XII.
BARRY (d.na) - 1895, 1 II.
BAUER Maria Thomasia - 1877, 11 IV.
BAUSA Antonius - 1871, 10 XI.
BEAUNAY de DENESVRE Maria - 1890, 10 IV.
BECHTOLD Iosephus - 1874, 15 II.
BELARDI Adelaidis, Anna et Vincentia - 1873, 22 V.
BENTIVOGLIO Xaverius - 1878, 12 IV.
BINIMELIS Raphael - 1871, 10 XI.
BISCHETTI Pasqualis - 1889, 4 V.
BOONE Alfonsus - 1877, 7 VI.
BOONE Henricus - 1877, 4 VI.
BOTTAGISIO-GUARIENTI Mechtildis - 1888, 27 IX.
BOULET Laura - 1877, 4 XI.
BRAGATO Aloisius - 1869, 24 II.
BREČKA Felix - 1861, 9 XI.
BRENNER Michael - 1861, 17 XI.
BRESCIANI VENCESLAUS - 1866, 9 IV.
BRUNEEL Livinus - 1874, 6 X.
BUONANNO Raphael - 1883, 8 XI.

CAFFIERI (d.na) - 1889, 23 XII.
CAMASSA Iosephus - 1891, 9 X.
CAMERA Antonius et Michael - 1871, 25 IX.
CANTALUPO Ernestus - 1891, 2 II.
CAPOZZI Crescentius - 1873, 8 IX.
CARDOU A. - 1886, 19 III.
CARFORA Vincentius - 1894, aug.
CARIUCI Iosephus et Dominica - 1866, 3 VI.
CARNESECCHI Franciscus - 1887, 28 X.
CASTRIOTA SCANDERBECK Antonius - 1882, 11 XII.
CATENA Iulia et Paschalis - 1887, 21 IV.
CATULLE Ioannes - 1874, 27 XI.
CEFRANGA Concepta - 1867, 2 VII.
CETTI MAGGI Carolus et Matthias - 1874, 6 X.
CHAILLOT Aloisius - 1863, 12 II.
CHAIX Mathildis - 1888, 27 IX.
CHOQUET (rev.) - 1889, 23 XII.
CIANCHETTI Alexander, Bernardus, Franciscus et Iosephus - 1880, 23 XI.
CIANCHETTI Petrus et Michael - 1867, 23 X.
CICCODICOLA Alfonsus - 1891, 13 III.
CILEI Anna, Carolina et Elisabeth - 1873, 24 VI.
CITARELLA Alfonsus - 1861, 26 IX.
CITTO Michael - 1873, 4 IV.
CLEMENTE Paschalis - 1883, 27 VII.
COBIZA Casimirus - 1868, 17 IV.
COCCHI Antonius et Caesar - 1872, 16 IX.
COLAZINGARI Salvator - 1859, 24 XII.
CONCHA Carmela de la - 1867, 2 VII.
CONTI Aloisius, Caietanus, Ignatius et Iosephus - 1865, 6 X.
CORBETT Iacobus - 1885, 25 VIII.
COSTA Ferdinandus - 1892, 12 XII.
CRISCUOLO Michael - 1886, 18 II.
CURTIER C. - 1872, 7 VII.

DAMAS Maria - 1885, 2 III.
D'AMICO Iosephus et Vincentius - 1882, 20 XII.
DARIZ Andreas - 1877, 7 XII.
D'AVANZO Bartholomaeus - 1882, 9 VI.
DE ANTONIIS Bonaventura - 1866, 3 VI.
DE BISOGNO Iosephus - 1874, 2 II.
DECORATO Aemilia, Iosephus et Sabinus - 1877, 6 III.
DE FALCO Franciscus - 1890, 23 IX.
DELATTRE G. - 1881, 9 V.
DEL CAMPO SCIPIO Ioannes - 1880, 1 III.

DELERUE Edmundus - 1880, 2 III.
DEL FORNO Aloisius - 1891, 9 X.
DELLA VALLE Aloisius - 1878, 12 IV.
DE MARTINO Nicolaus - 1881, 12 IV.
D'EMILIA Henricus - 1881, 15 III.
DE ROSA Maria - 1894, aug.
DE ROSA Michael - 1879, 13 VII.
DESURMONT Henricus - 1860, 29 X.
DEVELASCO Hieronymus - 1864, 8 VII.
DE VENNERO Iosephus et Caietana - 1883, 12 IV.
DEVEREUX Richardus - 1868, 28 I.
DE WINDE Ludovicus - 1892, 12 XII.
DI GIOVANNI Antonius - 1883, 29 V.
DILGSKRON Carolus von - 1860, 9 VIII.
DI MARINO Alfonsus et Thomas - 1885, 29 IV.
DOMECY Maria de - 1890, 10 IV.
DOOPER Augustinus - 1893, 12 III.
DOPPELBAUER Franciscus - 1879, 6 VII.
D'OTTAVI Carolus - 1875, 30 V.
DOWNING Ioannes - 1877, 23 IX.
DOZ Maria Concepta - 1871, 2 VIII.
DOZ Rosa - 1867, 2 VII.
DRUMMOND Ioanna - 1878, 16 III.
DUBOIS Iosepha - 1893, 13 XII.
DUNAJEWSKI Albinus a - 1883, 27 V.
DUQUAIROUX Maria - 1891, 17 IV.
DURNWALDER Martinus - 1877, 3 I.

EGAÑA Concepta de 1890, 5 II.

FABBI Raphael - 1884, 20 XII.
FABIANI Paulus - 1862, 30 VI.
FALLOUX du COUDRAY Fridericus de - 1880, 9 XI.
FARINA Salvator - 1875, 21 XI.
FASOLI Nicolaus - 1885, 10 III.
FEDE Franciscus - 1882, mai.
FERNANDEZ-ESPINOSA Paulinus - 1894, 15 XII.
FERRIGHI Antonius - 1877, 6 XII.
FIMBERGER Simon - 1857, 3 IX.
FIORE Franciscus - 1858, 3 II.
FIORENTINO Vincentius - 1875, 26 VI.
FISCHER-COLBRIE Augustinus - 1892, 12 XII.
FISCHETTI Ioannes - 1882, 7 XI.
FLOECK Ioannes - 1886, 12 XII.
FONTANA Franciscus - 1859, 24 XII.
FONTANA SCAZZARI Maria - 1881, 14 II.
FORMOSI Iosephus - 1881, 14 II.
FRAGALA' Iosephus - 1873, 8 IX.
FRANCISCUS Xav. OFMCap. - 1879, 25 I.
FRATTAREGLI Anna - 1873, 24 VI.
FRENDHOFMEIER Aloisius - 1892, 12 XII.
FRONDUTI Iosephus et Petrus - 1865, 18 XII.
FROSCHAUER Andreas - 1857, 3 IX.

GAGGIOTTI Aloisius - 1856, 14 VII.
GAGLIARDI (archipresb.) - 1886, 18 II.
GAMO Caecilius - 1888, 25 XII.
GARRELON Maria-Ephrem - 1870, 8 V.
GASPARDIS Ioannes - 1869, 24 II.
GASSER Iulius - 1891, 10 VIII.
GAY-d'AUBILLY (can.) 1875, 7 XI.
GENIN Victor - 1875, 8 III.
GENUARDI Gerlandus - 1873, 24 VII.
GHIZINGHELLI Iosephus - 1863, 19 III.
GIANSANTI Thomassinus et Vincentius - 1868, 28 I.
GIRARDIN Camilla - 1894, 2 VIII.
GONZALEZ PEÑA Emmanuel - 1889, 23 IX.
GORDON STUART Donaldus - 1888, 2 VIII.
GOYCOLEA Heliodora - 1891, 16 II.
GRACHARD Camilla - 1879, 24 X.
GRAVINA Paschalis - 1878, 7 VI.
GRAY Georgius - 1892, 9 VII.
GREMSER Maria Edigna - 1877, 7 VIII.
GRILLENZONI Caietanus - 1863, 19 III.
GRISEWOOD Harman - 1876, 3 V.
GUARIENTI Antonius - 1888, 27 IX.
GUHL Wendelinus - 1877, 16 I.
GUILLAUME Ioannes - 1861, 10 VI.
GUTSEIT Adelaidis - 1891, 10 VIII.

HARTWAGER Maria - 1877, 8 VIII.
HEARN Matthaeus - 1885, 2 VI.
HEITZER Franciscus - 1880, 1 XII.
HERVE Maria - 1870, 23 IV.
HESS Elisabeth - 1860, 29 X.
HOENIG Georgius - 1874, 23 I.
HOFFALIZE Hyacintha de - 1864, 25 X.
HOFFMANN (rev.) - 1863, 11 IX.
HUCK Catharina - 1864, 12 IX.
HUET Ludovicus - 1860, 8 IX.
HUMBRECHT Ioannes - 1891, 1 I.
HURLER Maria Regina - 1877, 6 VIII; 1887, 5 IV.
HURTER Henricus - 1861, 9 XI.
HUYS Eduardus - 1877, 6 VI.

IMHAUS Gustavus et Elvina - 1878, 3 I.

JAEGER Maria Augusta - 1895, 4 II.
JORDAN de SURY (d.na) - 1891, 17 IV.
JUAN Laurentius - 1875, 1 V.

KAUDER Christianus - 1855, 2 XI.
KELLY Margarita et Maria - 1888, 12 V.
KENYON Ioannes et Maria - 1871, 16 V; 1880, 27 III.
KIRSCHBAUM (rev.) - 1881, 27 IV.
KLEIN Carolus - 1865, 6 X.
KOLB Iacobus - 1888, 15 XII.
KOSCHEK Valentinus - 1872, 30 VIII.
KREUZBURG Angela, Caesaria et Gertrudis - 1890, 15 III.
KURZMILLER Franciscus - 1886, 3 XI.

LABAYEN y ARANZABE Concepta et Pilar - 1890, 5 II.
LAMBERT Maria - 1875, 5 III.
LAMMENS Ludovicus et Hermina, Elisa, Eugenia, Iulius et Theresia - 1864, 8 XI.
LANCASTRE Helena de - 1864, 18 VIII.
LANCASTRE Maria Ioanna de - 1864, 9 III.
LANE FOX Georgius - 1878, 22 I.

LANGDALE Arturus - 1882, 28 IV.
LANSSEN Victor - 1877, 13 XI.
LARDOT (fam.) - 1892, 6 V.
LAURENT Petrus - 1860, 20 X.
LEBEAU Ludovicus - 1860, 9 VIII.
LECOUR (d.na) - 1892, 11 II.
LEDINGHEN-GRANDSIRE Gustavus de - 1882, 1 I.
LEFOYER (bibliop.) - 1879, 23 X.
LEICK Paulus -1888, 9 III.
LEMPFRIED Xav. Augustus - 1868, 28 I.
LENFERNA de LARESLE **Augustina - 1877, 7 III.**
L'HOIR Marcellinus - 1874, 17 II.
LIGORIO Maria Alfonsa de - 1880, 3 VI.
LIGORIO Maria Alfonsa de - 1880, 4 VI.
LIONETTI Antonius - 1875, 11 IV.
LLORENTE Emmanuel - 1888, 25 XII.
LONGO Bartholomaeus - 1894, aug.
LOONTJENS Maria - 1881, 12 I.
LULLIER-RUELL Leontina - 1871, 2 II.

MACCIOCIA Alexandra et Olympia - 1868, 16 V.
MACCIOCIA Gertrudis - 1868, 24 VI.
MacCORMICK Ioannes - 1891, 19 II.
MACDONALD Archibaldus - 1868, 28 I.
MAC SWEENE Patricius - 1890, 5 X.
MAGDALENA (mater) - 1877, 5 XI.
MAGLIONE Petrus - 1891, 9 X.
MAGNARD du VERNAY Petrus - 1875, 5 XI.
MARCHAIN Leontius et Rosalia - 1862, 6 I.
MARGARITA Thomas - 1881, 14 II.
MARTIN Edvinus - 1864, 9 VIII.
MARTINEZ de NOBOA Andreas - 1863, 7 II.
MARTINI Matthias - 1860, 7 XI.
MASCIA Nicodemus - 1881, 15 III.
MASSA Iosephus - 1894, aug.
MASTELLO Caietanus - 1866, 27 IX.
MASUY Franciscus - 1877, 7 III.
MAURY (d.na) - 1889, 23 XII.
MAZZARONE Iosephus - 1877, 1 VII.
MEAIMO Michael - 1871, 10 XI.
MELLANO Leonardus - 1870, 17 IV.
MENNITI Caietana - 1883, 12 IV.
MERMILLOD Caspar - 1864, 25 IX.
MESSANELLI Octavius - 1882, 11 XII.
MESSLER Augustus - 1881, 29 I.
MINNE Aemilius - 1878, 3 XI.
MISA Petrus - 1881, 14 II.
MOBILI Ioannes - 1866, 3 VI.
MOELLER Henricus - 1877, 21 X.
MONACO LA VALLETTA Raphael - 1864, 15 X.
MONTUORI Iosephus -1879, 13 VII.
MOOREN (doctor) - 1875, 23 XI.
MOREIL-ELOY (d.na) - 1889, 23 XII.
MORGAN Henricus - 1883, 8 VI.
MOSCA Gerardus - 1882, 20 XII; 1892, 1 XI.
MUELLER Antonius - 1885, 2 III.
MUELLER Franciscus - 1880, 16 XII.
MUELLER Ioannes - 1862, 13 XII.
MULDER Hermina - 1864, 8 XI.

NACARINO BRAVO Iosephus - 1868, 20 IV.
NASTI Andreas - 1887, 28 X.
NATALUCCI Franciscus - 1857, 9 II.
NERI Iosephus - 1880, 3 III.
NINZATTI Ioannes - 1880, 9 IV.

OBRADOR Simon - 1871, 10 XI.
OKELY Sebastianus - 1866, 25 XII; 1874, 25 III.
OLIVER Cosmus - 1875, 1 V.
OLIVER Gulielmus - 1871, 10 XI.
O'REILLY Bernardus - 1874, 21 XI.
ORLANDI Franciscus et Anna - 1867, 23 X.
OSSA (fam.) - 1876, in fine.
OVIEDO y SCHOENTHAL Antonia de - 1867, 9 VII.

PADERI Iosepha - 1860, 6 I.
PALLOTTI Aloisius - 1881, 17 VII.
PATRIZI Aloisius - 1880, 16 VII.
PAYA y RICO Michael - 1866, 8 XII.
PELOSI Romualdus - 1878, 21 V.
PERDRIEL Thomassina - 1893, 13 XII.
PEREIRA Maria - 1874, 8 XII.
PERNA Ioannes - 1886, 18 II.
PESCIAJOLI Gervasius - 1869, 8 IV.
PETER Maria Feliciana - 1877, 11 IV.
PETIT Theresia - 1890, 27 X.
PETRUCULLI Dominicus - 1878, 8 VI.
PHILIPPI Iosephus - 1862, 29 V.
PISANELLI Iosephus - 1877, 12 V.
PISANI Angela - 1882, 15 XII.
PLANAS Sebastianus - 1875, 8 VII.
PLAZECK Gulielmus - 1872, 31 VIII.
POLSINELLI Antonia - 1880, 21 XI.
POMEE Helena - 1873, 8 IX.
PREXEL Rudolfus - 1861, 17 XI.
PREZ-CRASSIER Adela de - 1864, 25 X.
PROTANI Adelaidis - 1883, 14 XII.
PROTANI Maria - 1875, 16 XII.
PROTO Alfonsus - 1887, 1 IX.
PUCCI Belisarius - 1879, 16 VIII.
PUIG Iulianus - 1871, 10 XI.

QUADROZZI Petrus - 1870, 27 I.
QUARTINO Benedictus, Caietanus et Theresia - 1869, 20 VIII.
QUIN Ioannes et Anna - 1865, 5 VI.
QUINLAN (d.na) - 1892, 9 VII.
QUINTO Iosephus - 1869, 25 XII.
QUIROGA de URMENETA Carmela - 1891, 16 II.

RAFFAELLI Ludovicus - 1878, 12 IV.
RAMASCHIELLO Dominicus - 1871, 27 XII.
RAMIERE Henricus - 1870, 30 VII.
RAUCCI Leopoldus - 1861, 26 IX.
REGGIANI Aloisius - 1875, 27 I.
REIBEL Ludovicus - 1862, 23 I.
REMONDINI Aloisius - 1894, 4 X.
REUTER (d.nus) - 1859, 24 XII.
RICHTARSKY Antonius - 1861, 10 XII.
RICHTARSKY Iacobus, Anna, Franciscus et Ioachim - 1861, 10 XII.
RIGG Georgius - 1885, 25 VII.
RIHA Martinus - 1888, 9 IV.
RITZ (rev.) - 1863, 11 IX.

Rocho (d.nus) - 1872, 2 X.
Ronsard de La Salle Mathildis de - 1894, 2 VIII.
Roth Petrus - 1888, 18 V.
Rothenbucher Fridericus - 1882, 11 VII.
Royannais Ioannes - 1860, 9 VIII.
Ruell Angelina - 1871, 2 II.
Russel Howell Alfonsus et Iulia - 1880, 26 III.

Sagnori Carolus - 1887, 4 VI.
Saintyves Theodorus et Maria - 1893, 13 XII.
Salottolo Eugenius - 1873, 8 IX.
Sanguineti Aloisius - 1866, 21 I; 1881, 5 VII.
Sarachaga Alexius - 1879, 1 XI.
Sarmiento Gabriela - 1884, 4 XI.
Sarnelli Vincentius - 1883, 29 XI.
Sauer Andreas - 1888, 18 V.
Schaal Iosephus - 1860, 5 X.
Schaumberger Ioannes - 1885, 31 I.
Schipani Ferdinandus - 1884, 25 VII.
Schneider Ioannes - 1892, 12 XII.
Schoephleuthner Antonius - 1892, 12 XII.
Schoettinger Vitus - 1861, 25 XI.
Schulz Maria Corsina - 1877, 11 IV.
Scorza Dominicus - 1875, 11 IV.
Senatra Augustus - 1890, 30 V.
Senestrey Ignatius von - 1873, 23 X.
Serra Iosephus - 1885, 2 III.
Sevray Camilla - 1879, 24 X.
Sheehy (vidua) - 1885, 17 X.
Silipo Raphael - 1879, 20 XII.
Smit Anna - 1876, 26 VII.
Smith Gulielmus, Iacobus et Iessia - 1869, 31 III.
Smith Sligo Archibaldus Vinc. et Margarita, Archibaldus Dom. et Ronaldus - 1869, 31 III.
Sorg Iosephus et Catharina - 1864, 12 IX.
Stafford de Portebello Maria - 1884, 4 XI.
Stanley Ioanna - 1878, 16 III.
Sterbini Francisca - 1875, 30 V.
Stiegele Philomena - 1874, 19 X.
Stoufflet Petrus - 1860, 19 XII.
Strouss Matthias - 1893, 14 I.
Sureda Michael - 1871, 10 XI.
Syoen Iacobus - 1877, 5 VI.

Terry Aloisius et Margarita - 1890, 5 II.
Thun-Hohenstein Iosephus - 1869, 23 V.
Tognoli Virginia - 1889, 5 V.
Tomaselli Anna et Margarita - 1886, 2 VIII.
Torche Eugenius - 1891, 1 I.
Tortosa Richardus de - 1884, 20 XII.
Trivellini Franciscus - 1874, 6 XII.
Troili Virginia - 1889, 5 V.
Troussard Leontina - 1885, 16 V.
Tucci-Savo Benedictus et Francisca - 1875, 30 V.
Tuzi Thomas - 1880, 6 I.
Tuzzi Andreas - 1876, 21 VI.
Tylee Gulielmus - 1885, 25 VII.

Ugarte Emmanuel et Anna - 1876, 26 VII.
Ugarte Emmanuela - 1876, 26 VII.
Ulrich Theresia - 1868, 15 III.
Unkhrechtsberg Eduardus von - 1861, 25 XI.
Urbano Felix - 1875, 11 IV.
Urbano Nicolaus - 1875, 11 IV.

Valentini Iosephus - 1856, 19 III.
Van Damme Ioannes et Elisa - 1881, 12 I.
Van Den Zavel Iosepha - 1892, 5 VIII.
Van Mens Ioannes - 1892, 11 II.
Van Zandt Adelaidis et Serena - 1891, 17 IV.
Vaquer Gulielmus - 1875, 1 V.
Vaquer Iacobus - 1871, 10 XI.
Veneri Paschalis - 1873, 4 IV.
Verdua Franciscus - 1871, 1 XII.
Verhille Iustinus - 1878, 29 XI.
Vincitorio Michael - 1875, 11 IV.
Vivenzio Leonardus et Vincentius - 1894, aug.
Volpe Hieronymus - 1882, 28 X.

Walter Iosephus - 1863, 23 V.
Wayte Carolus - 1866, 25 XII.
Wittmann Ioannes - 1877, 23 VIII.
Wuillaume Iosephus - 1856, 19 III.

Zama Augustinus et Maria Caec., Catharina, Crescentius, Faustina, Franciscus, Judith, Maria et Paulina - 1871, 16 VI.
Zimmerl Iosephus - 1861, 17 XI.
Zimmermann Georgius - 1893, 14 I.
Zulma Margarita - 1890, 5 II.

## DOCUMENTUM IV

Duo diplomata affiliationis speciali forma redacta, ann. 1870-1873.

### 1

Diploma datum die 17 apr. 1870 episcopo Leonardo Mellano OCD [1]. Documentum, scriptum a p. Michaele Ulrich, habetur in AGR, *Liber Formularum*, pars I, n. 37.

Nicolaus Mauron etc. Ill.mo et R.mo DD. Leonardo Mellano, Ordinis Carmelitarum Excalceatorum, Episcopo Olympensi i.p.i., Vicario Apostolico Malabariae: Salutem in Domino.

Cum ex praeclaro Tuo testimonio apprime Nobis constet [2], quanto devotionis affectu colatur S. P. N. Alphonsus tum ab Ill.ma et R.ma Dominatione Tua, tum ab aliis ad regendam Missionem Malabaricam Tibi sociatis S. Theresiae filiis, cui tota Congregatio nostra peculiarem profitetur venerationem [3]; cum insuper Admodum Rev. Pater Leopoldus a S. Ioseph, ejusdem inclyti Ordinis, Nobis testatus sit, saluberrima S. Fundatoris nostri opera mira cum dulcedine et fructu a fidelibus cujusque status praedictae Missionis Malabaricae avidissime perlegi [4], et ad augendam erga Sanctum hunc Antistitem pietatem ac devotionem enixas Nobis preces obtulerit, ut Evangelicos ejusdem Missionis Operarios bonorum spiritualium Congregationis nostrae participes faceremus: hinc, virtute facultatis a Sancta Sede Superiori Generali et Rectori Majori Congregationis SS.mi Redemptoris concessae, Te, Ill.me et R.me Domine, Tuosque praesentes et futuros in dicta Missione Malabarica confratres, cum sacerdotes tum fratres laicos, nec non omnes et singulos Religiosos indigenos inclyto

---

1 Exc. Mellano tunc Romae degebat, ubi intererat Concilio Vaticano I. Cf. Th. GRANDERATH, *Geschichte des Vatikanischen Konzils* I, Freiburg/Brsg. 1903, 494, n. 641.

2 Ratio hic habetur epistulae episcopi diei 18 dec. 1868 circa opera s. Alfonsi conversa in linguam malabaricam. Epistula edita est in opere *Acta Doctoratus* s. Alfonsi (de quo vide *Spic. hist.* 19 [1971] 6, n. 5), Romae 1870, *Summarium additionale* 535, n. 10.

3 Instante p. Mauron die 12 iunii 1856 Redemptoristis denuo concessa est gratia celebrandi officium proprium Ordinis Carmelitarum in die festo s. Theresiae, 15 oct. Documentum invenitur in opere *Documenta authentica*, [ed. SCHOBER], Ratisbonae 1903, 264-265; cf. 22, n. 18. Circa venerationem s. Alfonsi erga s. Theresiam, vide *Spic. hist.* 23 (1975) 241-245.

4 Opera s. Alfonsi in linguam malabaricam conversa enumerantur apud M. DE MEULEMEESTER, *Bibliographie générale des écrivains rédemptoristes* I, Louvain 1933, 290-291; quibus tamen alia addenda sunt.

tuo Ordini adscriptos vel in posterum adscribendos, omnium meritorum provenientium... (ut in n. 6)[5]... esse volumus ac declaramus.

Simulque Divinum nostrum Redemptorem humillime deprecamur, ut haec aggregatio, SS.ma Virgine Immaculata et S. P. N. Alphonso ac Seraphica Virgine Theresia intercedentibus, in spiritualem cedat praelaudatae Missionis profectum sempiternumque Dei omnipotentis honorem et gloriam.

In cujus aggregationis perpetuae fidem praesens hoc documentum propria manu subsignavimus et Congregationis nostrae sigillo munivimus.

Datum Romae, ... die 17 Aprilis anni 1870, festo Resurrectionis D. N. Jesu Christi.

## 2

Diploma datum die 23 oct. 1873 episcopo Ignatio von Senestrey. Documentum, scriptum a p. Francisco Reuss, habetur in AGR, *Liber Formularum,* pars I, n. 42.

Nicolaus Mauron etc. Illustrissimo et Reverendissimo DD. Ignatio de Senestrey, Episcopo Ratisbonensi: Salutem in Domino.

Tanta est, Ill.me et R.me Domine, Tua virtus et pietas, tamque eximius zelus, quo in Ecclesia Dei fulges ad divinam gloriam atque salutem animarum promovendam, tanta insuper, praeter alia Ill.mae ac R.mae Dominationis Tuae praeclara merita, in Congregationem nostram benevolentia, qua ipsam prosequi non desinis, ut quidquid a Nobis mutui obsequii referri possit, id jure Tibi debitum existimemus. Cum vero nostrum in Te gratum animum nulla ratione melius quam spiritualibus obsequiis declarare valeamus: hinc, virtute facultatis a Sancta Sede Superiori Generali et Rectori Majori Congregationis SS.mi Redemptoris concessae, admittendi ad participationem bonorum operum fideles utriusque sexus, pietate et charitate conspicuos, Te, Ill.me ac R.me D.ne, omnium bonorum operum, quae, Dei misericordia opitulante, in nostra Congregatione peraguntur, omniumque meritorum sive ex missionibus aliisque laboribus apostolicis, sive ex ss. sacrificiis, communionibus, orationibus, meditationibus, poenitentiis, caeterisque piis ac devotis exercitiis prove-

---

[5] Est formula aggregationis oblatorum edita supra, Doc. II 4.

nientium, participem facimus; atque patentibus hisce litteris inter Oblatos SS.mi Redemptoris cooptatum et aggregatum esse volumus ac declaramus.

Divinum vero Redemptorem nostrum Jesum Christum humiliter obsecramus, ut, auspice Immaculata Virgine et Matre Maria de Perpetuo Succursu, cujus miraculis clara imago in ecclesia nostra de Urbe summa veneratione colitur, atque intercedente S. P. N. Alphonso, hanc nostram concessionem de coelo ratam firmamque habeat, et de inexhausto meritorum suorum thesauro nostram Ipse inopiam supplens, Te, Ill.me et R.me D.ne, omni gratia et benedictione cumulet in hac vita ac denique coelestis gloriae corona remuneret in aeternum.

Datum Romae, ... die XXIII Octobris MDCCCLXXIII, festo commemorationis SS.mi Redemptoris.

## DOCUMENTUM V

Duo diplomata affiliationis sodalibus piarum laicorum associationum concessae, ann. 1874-1878.

### 1

Diploma datum die 17 febr. 1874 p. Marcellino L'Hoir CSSR, moderatori generali archisodalitatis S. Familiae, Leodii.

Documentum, scriptum a p. Francisco Reuss, habetur in AGR, *Liber Formularum,* pars I, n. 44 [6].

Nicolaus Mauron etc. Admodum Rev. Patri et in Christo dilecto Fratri Marcellino L'Hoir, Rectori domus Leodiensis in Belgio et Moderatori gen.li pro tempore piae Archisodalitatis S. Familiae, Jesu, Mariae, Joseph: Salutem in Domino.

Sapientissime docet S. P. N. Alphonsus, sanctitatem et perfectionem animae christianae totam consistere in amore Dei ac Redemptoris nostri Jesu Christi. Hoc autem divini amoris donum, ex sententia ejusdem S. Doctoris, nulla alia ratione facilius et efficacius impetrari valet, nisi per intercessionem Immaculatae Virginis et Matris Mariae, quippe quae ab ipso suo Filio constituta est thesauraria

[6] Paulo post documentum typis vulgatum est a p. L'Hoir, una cum versione francogallica, ad usum directorum archisodalitatis. Versio francogallica etiam invenitur apud M. DE MEULEMEESTER, *L'Archiconfrérie de la Sainte Famille,* Louvain 1946, 226-228.

et erogatrix omnium gratiarum, potentissima aeque ac benignissima apud Deum mediatrix et advocata. Post divinam vero Matrem, subdit S. Pater noster, quis est qui ignoret, prae omnibus aliis Sanctis potentiorem apud Deum existere gloriosum Patriarcham S. Joseph, purissimum immaculatae Deiparae Sponsum, cui, tanquam patri, ipsemet Dominus et Redemptor his in terris subditus esse voluit?

Quid autem zelantissimus Doctor noster ad sinceram atque ardentem devotionem erga Jesum, Mariam, Joseph cordibus fidelium inserendam, firmandam augendamque praestiterit, neminem profecto latet. Inclytissimus namque Alphonsus, testante S. Sede Apostolica, divinitus Ecclesiae datus est, non modo ad religionis morumque tutelam, verum etiam ad pietatis sensum in Christianorum animis, cum voce tum scriptis eminenti doctrina coelestique unctione refertis, efficaciter excitandum. Itaque minime dubitamus, quin Ipse piam Archisodalitatem sub titulo et protectione S. Familiae erectam peculiari benevolentiae affectu de coelis respiciat. Haec enim saluberrima institutio, a pluribus jam annis in Ecclesia Dei opera filiorum S. Alphonsi fundata [7], atque Ejusdem spiritu zeli, charitatis ac pietatis imbuta, haud immerito dici potest velut extensio et complementum piarum Congregationum, vulgo Cappellarum, quibus ipse Sanctus, in primordiis ministerii sui apostolici, maximo cum animarum fructu civitatem Neapolim ditavit [8].

Ad Nos quod spectat, qui, licet absque ullis meritis, vices Sancti Fundatoris nostri gerimus, humiles Deo gratias agimus, qui sanctam hanc institutionem dirigendam propagandamque Congregationi nostrae clementer commisit. Quapropter in Domino summopere gaudemus de mira ac plane stupenda praefatae Archisodalitatis in omnes fere Orbis plagas diffusione et propagatione [9]; simulque fervidas Deo preces nunquam non porrigemus, ut Ipse pium istud Institutum uberioribus gratiis foecundet, atque cultum et devotionem erga Jesum, Mariam, Joseph in Sodalium cordibus magis ac magis augeat. Sancta et augustissima haec Familia sit omnibus refugium in tribulationibus, virtutum christianarum speculum, pax et gaudium vitae, ac tandem in agone firmissima spes et solatium.

Cum autem, pro majori ejusdem Archisodalitatis bono atque

---

[7] An. 1844 associatio fundata est Leodii a quibusdam laicis, inter quos primum locum tenet centurio Henricus Belletable (1813-1855). An. 1845 ab episcopo dioeceseos approbata est et Redemptoristae directionem spiritualem susceperunt. Cf. DE MEULEMEESTER, *L'Archiconfrérie* 19-31.

[8] Circa apostolatum 'cappellarum vespertinarum' (*le cappelle serotine*) vide egregiam expositionem Michaelis De Spirito in *Spic. hist.* 25 (1977) 95 ss.

[9] Circa miram sane diffusionem associationis, sine dubio operae et zelo Redemptoristarum adscribendam, cf. DE MEULEMEESTER, *L'archiconfrérie* 49 ss.

incremento, Nobis significaveris, pergratum Tibi fore, si eidem bona nostra spiritualia communicaremus [10]: non possumus, quin piis hujusmodi precibus ac desideriis libentissime annuamus. Quamobrem, virtute facultatis a Sancta Sede Superiori Generali et Rectori Majori Congregationis SS.mi Redemptoris concessae, admittendi ad participationem bonorum operum fideles pietate et charitate conspicuos, universos et singulos utriusque sexus Christifideles, tam praefatae Archisodalitati S. Familiae, quam aliis ejusdem nominis et tituli piis Sodalitatibus eidem rite aggregatis vel canonice in futurum aggregandis, jam adscriptos aut in posterum adscribendos, omnium bonorum operum, quae, Dei misericordia opitulante, in nostra Congregatione peraguntur, omniumque meritorum sive ex missionibus aliisque laboribus apostolicis, sive ex ss. sacrificiis et communionibus, orationibus, poenitentiis, caeterisque piis ac devotis exercitiis provenientium, participes facimus, atque patentibus hisce litteris inter Oblatos SS.mi Redemptoris cooptatos et aggregatos esse volumus ac declaramus.

Divinum vero Redemptorem nostrum Jesum Christum humiliter obsecramus, ut, auspice Immaculata Virgine et Dei Genitrice Maria, cujus miraculis clara Imago sub titulo de Perpetuo Succursu in ecclesia nostra de Urbe summa veneratione colitur, atque intercedentibus glorioso Patriarcha S. Joseph, purissimo Deiparae Sponso, et S. P. N. Alphonso, hanc nostram concessionem et aggregationem de coelo ratam firmamque habeat, et de inexhausto meritorum suorum thesauro nostram Ipse inopiam supplens, Te, Admodum Reverende Pater, cunctosque Sodales praelaudatae piae Archisodalitati S. Familiae, Jesu, Mariae, Joseph, legitime adscriptos vel in futurum adscribendos, omni gratia et benedictione cumulet in hac vita ac tandem immarcescibili coelestis gloriae corona remuneret in aeternum.

Datum Romae, ... die XVII mensis Februarii, anno Domini MDCCCLXXIV, festo Fugae D. N. J. Ch. in Aegyptum.

---

[10] Epistula diei 4 ian. 1874, qua p. L'Hoir aggregationem petivit, conservatur in AGR, *sectio* Archisod. S. Familiae 1.

2

Diploma datum die 12 apr. 1878 quibusdam sacerdotibus civitatis Mutinensis in favorem sodalitii 'Apostolatus Suffragii in sanctas animas Purgatorii'.

Documentum, scriptum a p. Francisco Reuss, habetur in AGR, *Liber Formularum*, pars I, n. 46[11].

Nicolaus Mauron etc. Admodum Reverendis et in Christo dilectis DD. Sacerdotibus Ludovico Canonico Raffaelli, Xaverio Comiti Bentivoglio et Aloysio Della Valle archidioecesis et civitatis Mutinensis: Salutem in Domino.

Cum Nobis significaveritis, pergratum Vobis fore si bona nostra spiritualia communicaverimus piae Sodalitati sub titulo 'Apostolatus Suffragii in sanctas animas Purgatorii', Mutinae in ecclesia SS. Salvatoris cura ac zelo Vestro constitutae et ab Ill.mo et R.mo DD. Archiepiscopo Mutinensi canonice nuper erectae[12]; cum insuper sancta et salubris sit cogitatio pro defunctis exorare ut a peccatis solvantur, atque ideo omni studio promovenda ac fovenda sint opera ad juvandas animas purgatorio igne detentas suscepta: non possumus, quin porrectis Nobis precibus ac desideriis libenter annuamus. Hinc, virtute facultatis ... concessae, Vos, Admodum Reverendi et in Christo dilecti Domini, atque universos et singulos utriusque sexus Christifideles praelaudatae piae Sodalitati adscriptos aut in posterum adscribendos omnium bonorum... firmam habeat, cunctosque... in aeternum.

Datum Romae, ... die XII Aprilis MDCCCLXXVIII, festo Septem Dolorum B. M. V.

## DOCUMENTUM VI

Tria diplomata participationis bonorum operum, piis laicorum associationibus concessae, absque titulo oblatorum, ann. 1870-1875.

1

Diploma datum die 30 iulii 1870 p. Henrico Ramière SI, moderatori sodalitatis ab Orationis Apostolatu.

Documentum, scriptum a p. Michaele Ulrich, habetur in AGR, *Liber*

---

[11] Una cum documenti minuta, quam transcribimus, conservatur etiam adumbratio a p. Ulrich exarata.

[12] Libellus supplex a Ludovico Raffaelli sociisque porrectus (sine die) conservatur in AGR XLIII 40.

*Formularum*, pars I, n. 39. — Diploma originale conservatur in archivo Societatis ab Orationis Apostolatu, Borgo S. Spirito 5, Romae. Secretarius generalis societatis, R. P. Edgardus de la Peza SI, nobis humanissime photocopiam subministravit, qua de re sinceras gratias ei agimus. Paucae lectiones variantes inter originale et minutam (quam transcribemus) habentur, quae in notis ad calcem indicabuntur.

Nicolaus Mauron etc. Admodum Reverendo Patri Henrico Ramière SI, Moderatori piae Sodalitatis [12a] ab Orationis Apostolatu, et universis ejusdem Sodalibus: Salutem in Domino.

Neminem sane latet, Sanctum Patrem nostrum Alphonsum, pro flagrantissimo quo exardebat animarum zelo, nihil antiquius habuisse quam ut omnes Christifideles indefesso conatu, cum verbo tum scriptis, ad juge orationis exercitium hortaretur atque incenderet. Testante enim hoc peritissimo in rebus spiritualibus Duce et Magistro, omnium ad salutem consequendam mediorum efficacissimum simul et maxime necessarium est humilis ac perseverans ad Deum deprecatio. Hinc strenuus ille orationis praeco et apostolus amare deflebat, hujusmodi exercitium a plerisque vel ignorari vel parvo haberi pretio, et animarum zelo succensus scribebat: « Dico, atque ad finem usque vitae meae dicam et clamabo, salutem nostram totam in oratione sitam esse; quapropter omnes scriptores, divini verbi praecones et confessarii prae caeteris inculcare deberent necessitatem orationis, hortantes semper et jugiter clamantes: Orate, orate; si oraveritis, certa erit salus vestra, si autem non oraveritis, certo peribitis » [13].

Cum itaque tanti sit momenti orationis exercitium, summopere gaudemus, piam Societatem sub titulo ' Apostolatus Orationis ' iam pluribus abhinc annis institutam, divina favente gratia, ad majorem totius Ecclesiae utilitatem animarumque salutem magis ac magis in dies propagari et augeri [14]. Cum insuper a Te Nobis significatum fuerit, perjucundum Tibi fore, si eidem Societati bona nostra spiritualia communicaremus [15]; hinc, pio tuo desiderio libenter annuentes, Te, Admodum Reverende Pater, nec non universos et singulos utriusque sexus Christifideles praefatae piae Societati ab Orationis Apostolatu adscriptos ac in posterum adscribendos omnium bonorum ope-

---

12a In originali: Societatis.

13 Verba laudata etsi non ' ad verbum ' tamen sunt ' ad mentem ' s. Alfonsi. Cf. G. Liévin, *Un aforismo di s. Alfonso de' Liguori: Chi non prega, si danna*, in *Vita cristiana* (Firenze) 20 (1951) 78-80.

14 Societas an. 1844 fundata a p. Francisco Gautrelet SI, ab an. 1860 per totum orbem propagata est a p. Henrico Ramière SI.

15 Documentum quo p. Ramière communicationem petivit non invenimus in AGR. Quia tunc Romae degebat, theologus episcopi Bellovacensis (Beauvais) in Concilio Vaticano I, supponimus eum viva voce cum p. Mauron de re egisse.

rum, quae, Dei misericordia opitulante, in nostra Congregatione peraguntur, omniumque meritorum sive ex missionibus aliisque laboribus apostolicis, sive ex ss. sacrificiis et communionibus, orationibus, meditationibus, caeterisque piis ac devotis exercitiis provenientium, participes facimus [16].

Divinum vero Redemptorem nostrum humiliter obsecramus [16 a], ut, auspice SS.ma Dei Genitrice Maria de Perpetuo Succursu, cujus miraculis clara imago (jubente SS.mo D. N. Pio PP. IX) in ecclesia nostra de Urbe (fidelium cultui restituta) [17] summa veneratione colitur, atque intercedente S. P. N. Alphonso, hanc nostram concessionem de coelo ratam ac firmam habeat, et de inexhausto meritorum suorum thesauro nostram Ipse inopiam supplens, Te cunctosque Sodales omni gratia et benedictione cumulet in hac vita ac denique coelestis gloriae corona remuneret in aeternum.

Datum Romae, ... die XXX mensis Julii anni MDCCCLXX [17 a].

2

Dploma datum die 4 martii 1872 p. Petro Tudone POp., moderatori sodalitatis adolescentium, Neapoli [18].

Documentum, scriptum a p. Francisco Reuss, habetur in AGR, *Liber Formularum,* pars I, n. 41.

Nicolaus Mauron etc. Admodum Rev. Patri D. Petro Tudone Cong.nis Piorum Operariorum, Moderatori piae Sodalitatis Adolescentium in civitate Neapoli erectae sub titulo et invocatione S. Alphonsi, atque universis ejusdem Sociis: Salutem in Domino.

Maxima sane consolatione afficimur ex singulari devotionis obsequio quo Ministri Ecclesiae et Christifideles ubique terrarum colunt ac venerantur zelantissimum Doctorem S. Alphonsum Mariam de Ligorio, qui Congregationis nostrae SS.mi Redemptoris Fundator est ac Pater amantissimus. Nec quidquam Nobis optatius esse potest

---

16 Die 28 ian. 1957 director generalis delegatus associationis ab Orationis Apostolatu, p. Fridericus Schwendimann SI., certiorem fecit p. Clementem Henze, inter CSSR et sodalitatem exsistere communicationem meritorum bonorum operum mutuam. Omnes Redemptoristae, sine formali inscriptione, sodales piae associationis fieri possunt, manifestando voluntatem adhaerendi Apostolatui proprio superiori quocumque modo. Alia documenta circa concessionem huius gratiae in AGR invenire nequivimus. Cf. *Redemptoristarum Informationum Servitium* 11 (1957) 358; *Spic. hist.* 5 (1957) 38, n. 33.

16 a In originali: exoramus.

17 Duo passus inter uncos inclusi sine uncis leguntur in originali.

17 a Diploma originale subscripserunt p. Nic. Mauron, superior generalis, et p. Mich. Ulrich, secretarius.

18 In AGR XXX 17 (65-66) conservantur quinque epistulae p. Tudone aliaque documenta circa associationem.

quam ut haec pietatis et venerationis sensa, pro majori fidelium utilitate, magis ac magis in dies augeantur et crescant. Inclytissimus namque Alphonsus, testante S. Sede Apostolica, divinitus Ecclesiae datus est ad religionis morumque tutelam, atque ad pietatis sensum in Christianorum animis, cum voce tum scriptis eminenti doctrina coelestique unctione refertis, efficaciter excitandum.

Ex corde igitur gratulamur Vobis, qui de praeclarissimo hoc vestro Concive merito gloriantes, ipsius etiam eximias virtutes et exempla prae caeteris aemulamini. Summopere in Domino gaudemus de pia Sodalitate Adolescentium, quae, cura ac zelo Reverentiae Tuae aliorumque pietate aeque ac nobilitate conspicuorum virorum, sub invocatione et patrocinio S. Alphonsi Mariae de Ligorio in ecclesia S. Georgii Majoris Ven. Congregationis Piorum Operariorum in civitate Neapoli canonice nuper erecta fuit [19]. Simulque fervidas Deo preces numquam non porrigemus, ut Ipse pium a Vobis susceptum Institutum uberioribus gratiis foecundet, Vosque ad amplificandam Dei gloriam et ad procurandam tum propriam tum aliorum salutem, spiritu charitatis, zeli ac pietatis, quo aestuabat Alphonsus, misericorditer replere dignetur.

Cum autem pro majori ejusdem Instituti bono atque incremento Nobis significatum fuerit, perjucundum Vobis fore, si eidem Societati bona nostra spiritualia communicaremus, non possumus quin piis hujusmodi precibus ac desideriis perlibenter annuamus. Hinc Te, Admodum Reverende Pater, atque universos et singulos praefatae Sodalitatis Socios activos, nec non Socios Protectores ac Socias Benefactrices, tam praesentes quam futuros, omnium bonorum operum [*reliqua ut in documento praecedenti*].

Datum Romae, ... die IV mensis Martii, anno Domini MDCCCLXXII.

3

Diploma datum die 25 aug. 1875 p. Mauro van den Borne CSSR, moderatori sodalitatis in honorem SS. Cordis Jesu, Antverpiae [20].

Documentum, scriptum a p. Francisco Reuss, habetur in AGR, *Liber Formularum,* pars I, n. 45.

Nicolaus Mauron etc. Admodum Rev. Patri et in Christo dilecto Fratri Mauro van den Borne, Rectori domus Antverpiensis in

19 Associatio fundata erat die 2 aug. 1871 et die 11 oct. p. Mauron nominatus erat Socius Protector. Die 2 feb. 1896 successor eius p. Raus nominatus est Socius Protector.

20 « Confraternitas instituta est [an. 1875] occasione consecrationis totius orbis

Belgio et Moderatori pro tempore piae Sodalitatis in honorem SS. Cordis Jesu: Salutem in Domino.

Inter eximios Sacratissimi Cordis Jesu cultores profecto numerandus est S. P. N. Alphonsus. Quum enim finis cujuslibet christiani, testante Apostolo Gentium, alius non sit quam ut conformis fiat imagini divini nostri Redemptoris et Magistri, sapienter monet S. Doctor, neminem hanc conformitatem assequi posse, quin jugiter immensum meditetur Christi Jesu erga nos amorem, ideoque merito concludit, omnium devotionum maximam consistere in amore erga ipsum amantissimum nostrum Redemptorem. Inde est quod S. Pater noster, probe perspiciens devotionem erga divinissimum Cor Jesu aliud non esse nisi praecellens exercitium amoris, hanc eamdem saluberrimam devotionem, cum verbis tum scriptis coelesti unctione refertis, inter Christifideles promovendam augendamque strenue adlaboraverit. Cum itaque tanti Patris filios deceat, ut, eodem spiritu imbuti atque ipsius vestigia prementes, hanc devotionem cordibus fidelium inserere pro viribus studeant, maxime Tibi gratulamur, quod piam Sodalitatem in honorem SS. Cordis Jesu in ecclesia nostrae Congregationis Antverpiae instituendam curaveris; simulque pias ad Deum preces effundere non omittemus, ut fideles huic Sodalitati adscripti in cognitione et amore Jesu Christi magis magisque proficiant atque alios ad ejus amorem alliciant.

Cum autem Nobis significaveris, pro majore ejusdem Societatis incremento summopere exoptandum fore ut eidem bona nostra spiritualia communicaremus, enixe Tuis precibus annuendum esse censuimus. Quamobrem, virtute facultatis a Sancta Sede Superiori Generali et Rectori Majori Congregationis SS.mi Redemptoris concessae, universos et singulos utriusque sexus Christifideles praefatae Sodalitati legitime adscriptos vel in posterum adscribendos, omnium bonorum operum... (cfr. n. 41)[21]... participes facimus.

Sacratissimum vero Cor Jesu humiliter obsecramus, ut, auspice ... (cfr. n. 41) ... aeternum.

Datum Romae, ... die XXV Augusti MDCCCLXXV.

---

a Pio Papa IX huic sanctissimae misericordiae sedi ». *Digesta chronica collegiorum CSSR Prov. Belgicae.* VII *Antwerpia,* [Brugis 1894], 44.

[21] Est documentum praecedens, die 4 martii 1872 p. Tudone datum.